LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

16 S 14

M. VAN LIER.

SPECIMEN ANTIQUARIUM INAUGURALE

DE

INSCRIPTIONIBUS SALPENSANA ET MALACITANA.

NOMINE
SCRIPTORIS.

SPECIMEN ANTIQUARIUM INAUGURALE

DE

INSCRIPTIONIBUS SALPENSANA ET MALACITANA.

SPECIMEN ANTIQUARIUM INAUGURALE

DE

INSCRIPTIONIBUS SALPENSANA ET MALACITANA,

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

IACOBI ISAACI DOEDES,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE

ET

LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE

IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

A. D. XV M. FEBRUARII, A. MDCCCLXV, HORA III,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

MAURITIUS VAN LIER,

Rheno-Traiectinus.

Traiecti ad Rhenum,

TYPIS I. VAN BOEKHOVEN.

MDCCCLXV.

PIAE SORORIS CARISSIMAE

MEMORIAE

ET

PARENTIBUS OPTIMIS

SACRUM.

PRAEFATIO.

Exeunte m. Octobri anni MDCCCLI prope Hispaniae Meridionalis urbem Malagam, veterum Malacam, repertae sunt duae tabulae aeneae inscriptionibus latinis ornatae. Harum tabularum formam et argumentum primus exploravit inscriptionesque cum versione et commentationibus Hispanicis edidit peritus illius urbis Ictus, Don Manuel Rodriguez de Berlanga. (1) *Cuius opus cum doctis extra Hispaniam viris innotuerat, multorum continuo studia excitata sunt ad celeberrimum hocce Epigraphices monumentum accuratissime cognoscendum. Hinc variae Franco-gallorum et Germanorum de eo prodierunt commentationes, quarum neque ultimam fuisse, nec minima tum sagacitate tum audacia conspicuam esse eam, quae Theod. Mommsenum auctorem habet, quis cognitis huius viri scriptis miratur?*

Exstant in his Tabulis fragmenta legum municipalium. Altera

(1) Estudios sobre los dos bronces encontrados en Malaga à fines de Octubre de 1851. Malaga 1853.

eaque maior, quae secundum ipsum textum Malacitana vocatur, in V columnas divisa, continet partem legis (municipalis) municipii Malacae a medio C. LI—LXIX. Altera quae pariter secundum ipsum textum Salpensana appellatur, in II columnas divisa, a medio C. XXI—XXIX partem continet legis municipii Salpensae.

Sed quî factum est, ut ambae Tabulae, licet urbium a se invicem separatarum leges continentes, uno tamen eodemque loco reperirentur? Qua opportunitate Salpensana in viciniam urbis Malacae delata est? Utrum Salpensani seculo V irruentibus Gothis cedentes, eam secum Malacam abduxerunt? An potius Malacitani ad lacunam in sua lege municipali supplendam hanc partem legis communis petierunt ex Salpensa mature collapsa? Id prorsus ignoramus, ideoque ne alteram quidem sententiam pluris altera facimus, etsi Mommsenus hanc, id est suam, illi praefert, quam commendavit de Berlanga.

Quod autem gravius, non ignoramus tempus, quo hae leges municipales compositae et promulgatae sunt. Efficitur hoc ex variis indiciis et quidem ex iurisiurandi formula, quae in utroque aere eadem invenitur (C. XXV et XXVI Tab. Salp. et C. LIX Tab. Mal.), ex imperatorum constitutionibus de civitate Romana impetranda (C. XXII et XXIII Tab. Salp.), et ex C. XXIIII Tab. Salp., quo loco sermo est de eo, qui munere Duumviri fungitur, quando Imperator ipse eo munere fungi non potest.

His locis omnibus memoratur Domitianus Imperator.

Utraque igitur lex referenda est ad aetatem Domitiani, qui Imperator creatus est d. XIII m. Septembris anni LXXXI, occisus autem est d. XVIII m. Septembris anni XCVI. Ve-

risimile porro est, utramque legem in usum municipiorum Salpensae et Malacae compositam atque promulgatam fuisse ante annum LXXXIV; Imperator enim Domitianus sub finem anni LXXXIV accepit cognomen Germanici, quod cognomen servavit ad mortem. Hoc vero cognomen in aere nostro non memoratur. Statuere igitur licet leges, quae inveniuntur in aere Salpensano et Malacitano pertinere ad primum imperii Domitiani tempus easque ante annum LXXXIV fuisse compositas.

Equidem, cognitis his Tabulis lectisque virorum doctorum de iis commentationibus, utilissimum inde peti posse censui ad summos in Literis honores consequendos Disputationis argumentum. Et hoc quidem omnium maxime mea scire intererat, num quid conferrent illae ad instituta civitatis Romanae accuratius cognoscenda. Itaque sedulam Tabularum inscriptionibus explorandis operam dare coepi, nihil metuens ne ab impostore deciperer. Nam licet eruditissimus Francogallus Ed. Laboulaye de Tabularum authentia dubitaverit, Philologorum et Ictorum, qui in iis elaborarunt, neque praeter eum quisquam, quantum scio, eas spurias pronunciavit et illius argumenta ita refutata sunt a doctissimo populari Giraud, ut nullum dubium sit, quin firmo nitamur fundamento.

Simplicissima est huius Speciminis divisio. Duobus enim Capitibus utriusque Tabulae argumenta singillatim exponere conabor, ut quanti eae nobis faciendae sint quodammodo intelligatur; quibus Capitibus cur praemittatur disputatio de municipiis aetatis imperatoriae, infra apparebit. Ceterum ut iis, quibus Tabulae praesto non sunt, gratum facerem, ipsas describendas et opusculo meo addendas curavi.

Priusquam vero ad ipsum argumentum accedam, superest, quod mihi est iucundissimum, ut carissimis Literarum praeceptoribus gratias agam, quas possum, maximas. Multis nominibus Vos, Viri Cl. bene de me meruistis. Quamobrem ut vivatis felices diuque multis studiorum duces sitis, ex animo precor.

Doleo autem vehementer, in numero vestro meum me desiderare Literarum Graecarum et Latinarum Praeceptorem, virum inprimis doctum et bonum. Hunc quotiescumque cogito, Wyttenbachii de Ruhnkenio verba in praeclarum virum transfero:

Te, o KARSTENI, *et virtutum tuarum meditatione et bene factorum grata recordatione perpetuo celebrabimus.*

CONSPECTUS.

CAPUT I.

Pag.

FUITNE TEMPORE IMPERATORUM DUPLEX MUNICIPIORUM GENUS? 1

CAPUT II.

TABULA SALPENSANA 27

§ 1. De civitate Romana per magistratum consequenda 28
§ 2. De potestate, manu et mancipio 32
§ 3. De iuribus libertorum retinendis 40
§ 4. De tutorum datione 43
§ 5. De servorum manumissione 49
§ 6. De praefectis 53
§ 7. De duumviris, aedilibus et quaestoribus . . . 58

CAPUT III.

TABULA MALACITANA 67

§ 1. De nominatione candidatorum et de comitiis habendis 67

Pag.

§ 2. De incolarum suffragia ferendi iure et de iis, qui magistratus creari possunt 74

§ 3. De suffragio ferendo atque de his, qui suffragiorum numero pares erunt 77

§ 4. De comitiis non impediendis, de iureiurando, deque pecuniae communis cautione a candidatis praestanda 84

§ 5. De patrono cooptando et de aedificiis non destruendis 89

§ 6. De locationibus 95

§ 7. De obligatione praedum, praediorum et cognitorum 100

§ 8. De iure dicundo e lege dicta praedîs praedibusque vendundis atque de multa 105

§ 9. De pecunia communi municipum deque eorum rationibus et de constituendis patronis 110

§ 10. De iudicio pecuniae communis. 114

EPILOGUS 115

QUAESTIONES 121

CAPUT I.

Fuitne tempore Imperatorum duplex municipiorum genus?

Sic, repertis Inscriptionibus Hispanicis, nonnemini statuere placuit, praeeunte Theod. Mommseno. De horum sententia municipiis civium Romanorum tunc accesserunt municipia Latina.

Et huc quidem retulerunt Malacam et Salpensam, quae *municipia Latina* appellarunt.

Talia autem municipia antea nobis prorsus fuerunt ignota, quia nullus veterum scriptorum de iis mentionem fecit, contra horum fide haud alia fuisse existimabantur quam civium Romanorum municipia, quae

quidem vario tempore variis usa sint iuribus, cuncta autem maius minusve habuerint civitatis Romanae ius.

Antequam igitur ea indagemus, quae Salpensanorum et Malacitanorum leges municipales attulerint ad singula civitatis Romanae instituta melius cognoscenda, operae pretium erit sententiam explorare, cuius vis ad universum pertinet argumentum.

Itaque Mommsenus (1), quem novae illius et veterum scriptorum testimoniis contrariae de municipiis sententiae auctorem esse significavi, duas praecipue ob causas municipia Salpensam et Malacam civitates *Latinas* fuisse contendit. Latinitas autem horum municipum eadem illi fuisse videtur, quae Gaio et Ulpiano nota erat et coloniariorum Latinorum dicitur.

Hanc sententiam commendarunt Huschkius, (2) Rudorffius (3) et Zellius (4). Alii vero dubii haeserunt quidnam hac in re esset statuendum. In his est

---

(1) Die Stadtrechte der Latinischen Gemeinden Salpensa und Malaca in der Provinz Baetica. Quae commentatio, separatim edita Lips. 1855, exstat in Abhandl. der Königl. Sächs. Gesells. der Wissenschaften III, 475.

(2) Gaius. Beiträge zur Kritik und zum Verständnisz seiner Institutionen. Leipzig, 1855 pag. 14.

(3) Röm. Rechtsgesch. I,35. De maiore ac minore Latio ad Gaium I, 95, 96 disputatio critica. 1860.

(4) Supp. z. Handb. der Röm. Epigr. 7.

Laboulaye (1). Dirksenus vero putat, Salpensam fuisse civitatem Latinam, sed de Malaca non diserte opinionem suam exponit. (2)

Eandem autem sententiam, uti haud pauci improbarunt antiquitatum Romanarum peritissimi viri, ita haud facile fuit, qui Mommseno vehementius adversaretur veteremque de uno municipiorum genere sententiam disertius propugnaret quam Augustus Wilhelmus Zumptius. (3)

Itaque audiamus utramque partem.

---

(1) Les Tables de Bronze de Malaga, Paris 1856, p. 3, ubi legimus: „Ces deux lois, supposent que les deux cités ont le *jus Latii* ou plutôt je ne sais quel droit plus favorable que le *jus Latii*, sans être encore le *jus civitatis*."

(2) Ein Beitrag zur Auslegung der epigraphischen Urkunde einer Städteordnung für die latinische Bürgergemeinde zu Salpensa: in Abhandl. der Königl. Akad. der Wissenschaften zu Berlin 1856. pag. 679. Verba eius haec sunt:

„Uns genügt es, die thatsächliche Charakteriserung von: *municipes municipii Flavi Salpensani, qui Latini erunt*, und die Bezeichnung der Beamten dieser Commune als Latinen, welche mittels des bekleideten Municipalamtes zum Besitz der römischen civität gelangen können, durch die Textesworte der Gesetzesurkunde gesichert zu sehn. Wir glauben demnach jedenfalls Salpensa als eine latinische BürgerGemeinde fassen zu dürfen und lassen, bezüglich Malaca's, das Postulat einer Stadtgemeinde mit römischem Bürgerrecht, nebst latinischen Beisassen, vorläufig durchaus zur Seite liegen."

(3) Studia Romana sive de selectis antiquitatum Romanarum capitibus commentationes quattuor. Berolini 1859., pag. 269 sqq.

Mirari subit, Mommsenum pluribus locis tam asseveranter loqui, eius opinionem ut nullis dubiis obnoxiam esse putes. Argumentorum autem, quibus nova sententia imprimis nititur, alterum ad ea pertinet Inscriptionum instituta, ex quibus sponte sequatur, his municipiis defuisse ius civitatis Romanae: alterum urget, leges municipales memorare municipes Latinos. (1)

Ad Vespasiani usque tempora, ait scriptor, Malaca fuit civitas foederata, Salpensa autem, ut verisimile est, stipendiaria.

Sed Vespasianus ut ceteris civitatibus, quarum incolae nondum erant cives, ita Salpensae quoque et Malacae ius Latinitatis dedit.

Malaca et Salpensa ab illo inde tempore, secundum Mommsenum, *municipia*, et *Flavia* quidem cognomine, appellari coepta sunt, in memoriam iuris Latinitatis a Fl. Vespasiano dati.

Cum his, iudice Mommseno, conveniunt ipsae hae leges municipales; afferuntur ab illo C. XXIX tabulae Salpensanae et C. LIV tabulae Malacitanae; quae capita probare perhibentur, municipia non semper habuisse civitatem

---

(1) Mommsen l. l. 399, § 1.: „Dass das gemeine Recht der Salpensaner und Malacitaner die Latinität, sie selbst latinische Bürger waren, folgt ebenso bestimmt aus den anderweitig über die Gemeindeverfassung dieser beiden Städte zu ermittelnden Thatsachen, als aus den Tafeln selbst."

Romanam, incolas praeterea eorum municipiorum, Latinitatis legibus subiectos, ius Latinitatis per se habuisse. Pariter C. XXVIII aeris Salpensani id probare affirmatur. Quo loco legimus: *Municeps, qui Latinus erit;* deinde haec verba occurrunt: *uti qui optumo iure Latini libertini erunt.* Hoc ius Latinitatis a Vespasiano originem ducere, ex his etiam tabulis sequi Mommseno videtur: namque ab illo demum tempore aliquem, qui magistratu quodam functus esset in civitate sua Latinitate donata, ius civitatis Romanae adipisci potuisse. — Ceterum Latinitatem illam, quam Mommsenus his municipiis adscribit, esse Latinitatem Latinorum coloniariorum, qualem norunt Gaius et Ulpianus, supra indicavimus.

Haec Mommseni argumenta ceteris quoque placent eiusdem sententiae propugnatoribus, quorum praecipue Rudorffium audire operae pretium est, quia hic, lecta Zumptii commentatione, hanc quaestionem pluribus persecutus est. Opportunitas ei fuit mutilus Gaii locus I, 95, a Niebuhrio inde saepe tentatus, quem locum Rudorffius recte a Mommseno restitutum esse censet et convenienter cum Inscriptionibus Malacae repertis:

Omissa iam de duplici Latio quaestione, videamus quid hic scriptor afferat ad duplex municipiorum genus probandum. Primum citat Plinii locum: „Latini iuris Euganeae gentes — ex iis Triumpilini, Camuni com-

pluresque similes finitimis attributi municipiis, — Cottianae civitates — (Latio donatae) — attributae municipiis lege Pompeia", tum sic pergit: (1)

„Quae quum ita sint, vix operae foret quaerere: ipsine municipes M. et S. Latio donati fuerint, an attributi tantum nescio qui Malacae et Salpensae populi, nisi vir clarissimus Aug. Wilh. Zumptius, proposita subtili hac de re disputatione efficere tentasset, ipsa municipia Flavia civium Romanorum fuisse et omnino imperatorum aetate non duo, diverso iure quae essent municipiorum genera, sed, quae fuit ante repertas leges Flavias municipales communis virorum doctorum opinio, unum genus civium Romanorum statuendum esse. At enim attributorum municipiis Flaviis populorum, nulla in quoquam monumento nec vola, quod sciam, nec vestigium exstat. — Ipsos vero municipes Latinos fuisse, quidquid contra dicat vir doctissimus, ratio manumittendi apud duovirum servi facit."

Et huc quidem redeunt argumenta eorum, qui ad quaestionem hoc capite propositam affirmando responderint. Iam audiamus, quid Mommseni sententiae Zumptius obiiciat, acerrimus idemque doctissimus eius adversarius.

Hic igitur disputat ita, ut non tantum novam de

---

(1) De mai. ac. min. Lat. 19,

municipiiis opinionem refellere, verum etiam Salpensae Malacaeque ius explicare conetur. (1) Quamobrem in haec tria inquirit:

Num ex veterum, fide dignissimorum, scriptorum testimoniis dubium esse possit de municipiorum *iure civitatis Romanae* Domitiani tempore:

Utrum tabulae Salpensana et Malacitana aliquid habeant, quod deterius municipiorum illorum ius denotet, itaque cum ceteris de municipiis testimoniis pugnet:

An cum his ius ipsum, quod eo tempore in Hispania, et quidem Malacae et Salpensae valebat, pugnare videatur.

Omissa, quae huc non pertinet, quaestione de municipiorum origine et conditione antiqua, rem ipsam sic aggreditur. Si in provinciis, ait, iuris alicuius vestigia inveniri putarentur, haud iniquum foret postulare, ut eiusmodi iuris fons et origo in adulta civitate Romana ostenderetur, quia imperatores de novo iure condendo minus cogitarunt quam de iure veteri vel servando vel extendendo. Num ante legem Iuliam, qua lege civitas Romana omni Italiae data est,

---

(1) Stud. Rom. p. 269. ubi comment. exstat h. tit. de Malacitanorum et Salpensanorum legibus municipalibus in Hispania nuper repertis. De hac commentatione egit I. A. C. Rovers, in: Aanteekeningen der sectie voor Letterk. en Wijsb. van het Prov. Utr. Genootsch. van K. en Wet., Junij 1860.

unum afferri potest oppidum, quod Latinitatis iure cum uteretur, *municipii* simul nomine fuerit appellatum? Post legem autem Iuliam Latinitas non ita mutata est, ut quod nomen prius eiusmodi oppidis non conveniebat, idem nunc conveniret.

Haec dicta Plinii testimonio confirmantur, qui paene aequalis, paucis annis ante latas has leges municipales mortuus est. Si cui nota erat Hispaniae provinciae constitutio, ei profecto haec nota esse debuit fuerat enim huius provinciae procurator, cui praeterea omne imperium Romanum describenti publica rerum monumenta praesto fuerunt.

Historiae Naturalis tres imprimis loci huc referuntur, ex singulis Hispaniae partibus desumti:

„In Baetica," inquit Plinius „sunt CLXXV civitates: in iis *coloniae* IX, *municipia* VIII, *Latio antiquitus donata* XXIX, *libertate* VI, *foedere* III, *stipendiaria* CXX." (1)

Seiungit itaque Plinius municipia ab oppidis, quae antiquitus, i. e. inde ab Augusti aetate, Latina erant. (2)

Hoc Plinii loco laudato, rogat Zumptius: „Quis igitur in divisione, ubi oppidorum genera distinguenda sunt, municipia et Latina oppida ita iuxta poneret, si

---

(1) III, I, 7.

(2) Zumpt, Comm. Epigraph. I. 198.

illa non modo civium Romanorum, verum etiam Latinorum esse possent? Hoc quidem contra omnem rationem est, primaque dividendi lex haec est, ut, quae totum complecti possint, ea ne tamquam in partibus constituas. Certum igitur hinc est, municipia et Latina oppida ita fuisse diversa, ut quae Latii ius haberent, nullo modo essent municipia, quae municipia, Latinitate non uterentur." (1)

Quodsi quaeritur, quae fuerint municipiorum iura, hoc quoque manifestum est ex Plinio, oppida Hispaniae Tarraconensis recensente (2): „continet," inquit, „oppida CLXXIX, in iis colonias XII, *oppida civium Romanorum* XIII, Latinorum veterum XVIII, foederatorum unum, stipendiaria CXXXV."

Hîc deest vocabulum *municipium*, sed legimus verba *oppida civium Romanorum* eodem loco eodemque ordine, quo prius, hoc est inter *colonias* et *oppida Latina*. Atqui nulla, praeter municipia, sunt oppida, quae secundo post colonias loco veniant, nulla praeterea, quae oppida Latina dignitate proxime praecedant. Ergo Baeticae *municipia* non alius generis sunt, quam *oppida civium Romanorum* Tarraconensis.

Qua de re si cui nondum persuasum sit, omne dubium

---

(1) Stud. Rom. 275.

(2) III, 13, 18. ed. Sillig.

tollet tertius Plinii locus, ubi haec dicit de Lusitania: „coloniae sunt quinque, *municipium civium Romanorum unum*, Latii antiqui tria, stipendiaria XXXVI." (1)

Dicitur quidem a Mommseno ceterisque, ipsum illud *municipium civium Romanorum* contrarium ostendere, quippe quibus verbis Plinius non usus esset, nisi exstitissent municipia civium *non* Romanorum, h. e. *municipia Latina.*

Verum respondet ille: num igitur *genitivus*, quo ad explicandam rem aliquam utimur, semper generis discrimen indicet necesse est? Sed fac, hunc genitivum generis discrimen indicare „num consequetur," ait Zumptius, „ut imperatorum Domitianique tempore municipia, quae Latinitatem haberent, sint appellata? Certe non videtur." (2) Praestare censet, verba *civium Romanorum* habere pro reliquiis prioris aevi, cum nulla quidem erant *municipia Latina*, non omnia tamen *iure civitatis Romanae* fruebantur, quam ex his verbis efficere, alterum genus municipiorum *Latinitatem* habuisse.

Summa huius disputationis huc redit: Plinii, auctoris idonei, testimonio confirmatur sententia de uno municipiorum genere.

---

(1) IV, 22, 117.
(2) l.l, 276.

Hinc scriptor ad hanc pergit quaestionem, num in ipsis illis tabulis Hispanicis quid sit, quod Salpensam Malacamque et *municipia* fuisse et *Latinitate* tantum, i. e. deteriore iure, usas esse ostendat?"

Est sane gravissima quaestio. Nam parvi facienda essent omnia, quae ad sententiam de uno municipiorum genere tuendam allata sunt, si ipsae Inscriptiones aliquid haberent, quod cum iis, quae aliunde de municipiis novimus, non conspiraret.

Non admodum difficile est, ex his legibus municipalibus cum aliqua saltem veri specie opinionem de duplici municipiorum genere eruere, imo vero hae tabulae impedire forstasse non videntur, quominus omnia illa oppida Latinitate usa esse credas. Sed ne hac veri specie te in errorem duci patiaris, iustam de municipiis notionem habere plurimum refert. Nam si putes, in oppidis illis propter ius civitatis Romanae, quo donata erant, nullos omnino fuisse nisi cives Romanos, irritus erit, qui ad difficultates tollendas impendetur, labor.

Itaque „de Latinitate," ait Zumptius, „illud imprimis tenendum erit, ne, si qui vel Salpensae vel Malacae reperiantur fuisse Latini homines, ideo omnes municipes eodem iure fuisse Latinitatemque omnino cum municipii ratione congruere existimemus."

In civitate Latina, ut constat, non omnes Latino

iure regebantur. Etenim, ne dicatur de familiis nonnullis illustribus, quibus in oppido, Latinitate donando, iam inde ab initio civitas data fuerat, haec regula valebat: „ut qui in sua quisque republica magistratum gessisset, civitatem Romanam consequeretur." Itaque in eiusmodi civitate, propter annuam sex magistratuum (II virorum, II aedilium, II quaestorum) mutationem, genus quoddam hominum oriri necesse erat, quod iuris conditione ceteris civibus praestaret.

Quod igitur in civitatibus minoris ordinis fieri solebat, id in maioris ordinis oppidis procul dubio locum habuit. In coloniis enim, quae ius civitatis Romanae habebant, praeter cives Romanos alii aderant, qui deteriori erant iuris conditione. (1)

Idem accidit in municipiis illis, de quorum civitate Romana nemo unquam dubitavit. Apud Plinium enim variis locis (2) haec leguntur:

„Latini iuris Euganeae gentes — ex iis Triumpilini, Camuni compluresque similes finitimis attributi municipiis, — Cottianae civitates (Latio donatae) — attributae *municipiis* lege Pompeia." (3)

Itaque in Italia municipia, quorum civitas Romana

---

(1) Liv. XXVIII, 29.
(2) III, 20, 134, 135, 138.
(3) Vid. Zumpt, l.l. 286. 287.

illo tempore nihil habet dubitationis, coniuncta sunt cum civitatibus minoris ordinis, sive potius hae, Latini iuris nominatim dictae, illis sunt attributae; unde duplex exstitit in iis municipiis genus hominum, alterum civium Romanorum, Latinorum alterum. Ex Italia autem translata haec sunt in provinciarum municipia. Quibus diligenter expositis, Zumptius quaerit: (1)

„Hoc cum ita esset Sagunti, nonne in Hispania Baetica Malacae et Salpensae, quamvis et civitate Romana uterentur et municipia rite appellarentur, ita potuit instituta esse respublica, ut eius non modo cives Romani, sed etiam Latini iuris homines essent participes?"

Utrum Malacae et Salpensae aliter se res habuerit, iam in disceptationem venit, agitque Zumptius de illis harum Inscriptionum constitutionibus, quae imprimis pugnare cum omnium municipiorum iure civitatis Romanae perhibentur.

Mommsenus, quique eum sequuntur, primum ut vidimus, in hac quaestione, spectarunt tabulae Salpensanae C. XXVIII, in quo agitur *de servorum manumissione apud* II *virum.* Ibi legimus:

„Si quis municeps municipi Flavi Salpensani, qui *Latinus* erit, apud IIvir[os], qui iure dicundo

(1) l. l. 289.

praeerunt eius municipi, servom suom servamve suam ex servitute in libertate[m] manumiserit liberum liberamve esse iusserit, — liber esto — libera esto, uti qui optumo iure Latini libertini liberi sunt erunt".

Hic igitur de *municipe* quodam *Latino* in municipio Salpensano sermo est. Manumittit municeps hic Latinus servum suum iure legitimo, qua quidem manumissione efficit, ut in libertum suum ius Latinitatis conferat. Quid itaque inde sequitur? Nihil aliud, nisi ut, quemadmodum in ceteris municipiis, ita et Salpensae municipes affuerint Latini, horumque commodis hac lege cautum fuerit; quorum ratio certe habenda erat, quia *Latini* etiam hac parte a reliquis municipibus diversi erant.

Deinde affertur C. XXIX aeris Salpensani, quo enumeratis iis, quae in tutorum datione requiruntur, legislator ait:

„Qui tutor hac lege datus erit . . . . . tam iustus tutor esto, quam si is *civis Romanus* et *adgnatus proxumus civis Romanus* tutor esset." (1)

Ut in C. XXVIII commemoratur municeps Latinus, ita etiam hic civem Latinum spectari, huius et civis Romani aequatio ostendit. Probant illa verba, Salpensae plura municipum, iuribus inter se diversorum, genera

---

(1) Mommsen. Die Stadrechte, 401.

adfuisse; fuisse vero aliquando, et imperatorum quidem temporibus, municipia Latina ex verbis illis concludere non licet.

Tum a Mommseno respicitur C. LIV tabulae Malacitanae, quo agitur de iis, quorum praesidem comitiorum, si qui muneribus fungi velint, rationem habere oportet. Excluditur praeter ceteros:

„Quive in earum qua causa erit, propter quam, si civis Romanus esset, in numero decurionum conscriptorumve eum esse non liceret."

Ecce iterum iussum aliquod legis, eorum causa scriptum, qui non sunt cives Romani, quos nunc quidem Malacae adfuisse videmus. Qui si honore et dignitate augeri cupiunt, non prohibentur, dummodo ne tali sint conditione, quae ad minuendum munus, quo fungi velint, pertineat. Ad cives, h. e. ad cives Romanos nihil pertinebat eiusmodi institutum: hos enim spectabat lex Iulia municipalis, a Iulio Caesare, praefecto morum, perlata; qua cavebatur, ne qui iudicio infami condemnatus esset, quive eum quaestum, ex quo aut infamia contraheretur, aut in odium hominum incurreretur, exerceret, in curiis eorum oppidorum esset, quae civitatem Romanam haberent. Quodsi quis Malacae ea esset conditione, qua cives Romani decurionatu excludebantur, in hunc minoris conditionis hominem, Latinum, idem in posterum statutum est.

Zumptius, his Mommseni argumentis diiudicatis, haec inquit: (1) „Atque haec quidem sunt de iure ipsorum municipum; reliqui sunt duo loci de decurionibus et de incolis, qui quid de universi municipii iure doceant, videndum est."

Quod ad decuriones attinet, horum nomine scriptor maximi momenti esse censet argumentum C. XXV aeris Salpensani.

Alter Duumvirorum qui municipium relicturus est, „neque eo die in id municipium esse se rediturum arbitrabitur," suo loco relinquit praefectum. Ius huic praefecto concessum ita definitur: „Ei — in omnibus rebus id ius eaque potestas esto praeterquam de praefecto relinquendo et de *civitate Romana consequenda*, quod ius quaeque potestas hac lege IIviris qui iure dicundo praeerunt datur."

Ex hoc igitur capite, unde discimus, praefectum a IIviro relictum, civitatem Romanam non acquirere, Zumptius haec efficit:

„Civitatem Romanam, quam reliqui magistratus Salpensani si ante non habuerunt, honore gerendo accipiunt, soli illi praefecti pro IIviris non consequuntur: qua in re certissimum testimonium est, cum praefecti

---

(1) l.l. 282 sqq.

ex decurionibus fiant, partem decurionum civitate Romana caruisse. Erant igitur decurionum duo genera, prius eorum, qui honores gesserant, qui sive origine cives Romani erant, sive non erant, civitate tamen Romana uterentur, alterum eorum, qui honores non gesserant, qui pedarii appellantur; ex his alii origine cives Romani erant, alii carebant civitate, quos Latini iuris fuisse sane probabile est." (1)

Hinc ducimur ad C. LIII tabulae Malacitanae, ut inde probetur, duo quoque civium genera in municipiis inveniri, quorum et conditiones et usus lege municipali regerentur. Ostendit enim Zumptius non solum inter municipes, sed etiam inter incolas, tum cives Romanos tum Latinos fuisse.

Hoc capite praesidi comitiorum, quae magistratibus creandis habentur, praescribitur:

„Ex curiis sorte ducito *unam*, in qua incolae, qui cives Romani Latinive cives erunt, suffragium ferant, eisque in ea curia suffragi latio esto."

Incolis igitur, qui cives Romani vel Latini sunt, haec lex ius quoddam concedit, ex quo in una curia, sorte ducta, suffragium magistratuum creandorum causa ferre iis licet.

---

(1) l.l. et Comment. epigr. I, 130.

Itaque hae Inscriptiones docent, distinguendos esse inter se municipes, tum etiam decuriones, denique inter incolas unius eiusdemque municipii discrimen esse.

In his omnibus num quid est, quod cum municipiorum *civitate Romana* pugnet? Nonne hi Tituli ea tradunt, quae cum scriptorum veterum testimoniis de municipiorum sub imperatoribus conditione optime conveniunt?

Et hisce quidem enucleatis, Zumptius de tertia, quam sibi explicandum proposuerat, quaestione agit; utrum cum veterum scriptorum testimoniis coniungi possit omnis in Hispania iuris conditio, nominatim in municipiis Malaca et Salpensa. Ingenue autem fatetur, in hac disquisitione nonnumquam ad coniecturas, quibus ad id quod maxime verisimile est perveniatur, confugiendum esse. Cardo rei vertitur in primis C. XXII aeris Salpensani verbis.

„*Qui quaeque ex hac lege exve edicto imperatoris Caesaris Augusti Vespasiani imperatorisve Titi Caesaris Augusti aut imperatoris Caesaris Augusti Domitiani patris patriae civitatem Romanam consecutus consecuta erit, is ea in eius, qui civis Romanus hac lege factus erit, potestate manu mancipio, cuius esse deberet, si civitate mutatus mutata non esset, esto.*"

Iterantur fere haec verba sequenti capite; in aere

Malacitano quoque saepius commemoratur „*haec lex.*" (1)

Una igitur *lex* et *duo edicta* (hoc enim apparet ex verbo *aut*) maximam in illorum oppidorum conditione vim habuerint necesse est.

Hanc legem cum Mommseno et Huschkio (2) *legem Flaviam* appellare, quasi solus eam promulgasset Domitianus, difficultatis aliquid habet, quae iuncta est rationi, qua post Tiberium leges ferri solebant; nec, si agitur de provinciarum rebus, praetermittendum est discrimen inter provincias *imperatorias*, i. e. provincias Caesareas, in quibus pro arbitrio agebat Princeps, et *senatorias*, i. e. provincias populi.

Baetica autem, in qua Malaca et Salpensa sitae erant, *provincia* fuit *senatoria;* senatus igitur auctoritas, quantaecunque fuerint in ea re Domitiani partes, abesse non potuit. (3)

Duorum edictorum, de quibus hic loquimur, alterum a Vespasiano et Tito, alterum a Domitiano est promulgatum et, uti quidem veri simile est, cum censorum

---

(1) Quid verbum *lex* illa aetate significet, quid intersit inter *legem* et *edictum*, docent:

Mommsen, Die Stadtrechte. 390—396. Zumpt, Stud. Rom. 288 sqq. Dirksen, Rechtsgel. Abhandl. 680 sqq.

(2) Gaius. Beiträge zur Kritik, 14.

(3) Giraud, Les Tables de Salpensa et de Malaga, 31. Zell, Supplement. 7.

munere fungerentur; quod munus Vespasianus, cum Tito filio collega, gessisse legitur circa annum LXXI —LXXIV, Domitianus autem, secundum nummos publicos, ante annum LXXXV illud gessit, cum a Senatu titulum censoris perpetui accepit. (1)

Iam vero oritur gravis quaestio, quodnam fuerit edictorum illorum argumentum, quomodoque ipsa a se discernenda sint edicta.

In virorum doctorum dissensione Zumptius postquam Huschkii de his edictis sententiam refutavit, haec ait:

„In edictis id certe inerat, quo status Salpensanorum mutaretur. Nam lex ubicunque in his tabulis Hispanicis commemoratur, ad magistratus creandos, ad comitiorum rationem, ad potestatem magistratuum, ad alia similia, quae in republica Salpensana vel Malacitana sunt, pertinet, edicta his duobus locis commemorantur, ubi de consequenda civitate Romana agitur. Iam Vespasianum tradit Plinius nat. hist. III, 30, qui iam citatus est, universae Hispaniae Latium tribuisse, quod cum certe etiam ad Salpensan Malacamque pertinuerit, nonne probabile est esse hoc ipsum quod quaerimus edictum, ex quo

---

(1) Suet. in Vespas. 8. Censorinus, de die natali. Plin. Hist. Nat. III, 5, 66. VII, 3, 162. Eckhell, Doctrina numm. vet. VI, 397.

Salpensani civitatem Romanam consequi dicuntur? Sed si Vespasianus iam tribuit Latinitatem. quid adiecit Domitianus edicto? Hoc, nisi ad inanes coniecturas descendere placeat, reperiri non poterit. Nisi forte ab Domitiano civitatem Romanam adiectam esse putabimus." (1)

Erant in Hispania, ut ex Plinii locis supra allatis meminimus, oppida iuris conditione maxime diversa: *coloniae*, *municipia*, *Latio donata*, *libera*, *foederata*, *stipendiaria*. In Baetica quidem omnia haec genera erant. Sed haec rerum conditio mutata est: „*universae*", enim „*Hispaniae Vespasianus imperator Augustus*, *iactatus procellis reipublicae*, *Latium* tribuit." (2)

Vespasianus non sua voluntate sic egit. Res enim novae, quae recentissimo acciderant tempore, eum ad liberalitatem exercendam incitarunt, sive beneficia cogitas, a prioribus imperatoribus, Galba et Othone, vel data vel promissa, qui ambo in Hispania degentes, ibi ad summum pervenerant imperium, ideoque gratum animum erga incolas significaverant; sive incommoda respicis, quae Hispani postea acceperant, ad quae levanda Vespasianus eos beneficiis affecerit. (3)

---

(1) l.l. 309 sqq. Huschke l.l. 16.

(2) Hist. Nat. III. 3, 30.

(3) Zumpt. l.l. 313 sqq.

Vespasianus igitur cum Tito filio censurae munere fungens eo pervenit, ut *Latinitatem* toti concederet Hispaniae. Hoc vero ius dari non poterat iis locis, quae hoc iure iam donata erant, neque magis oppidis, quae maioribus etiam iuribus et beneficiis fruebantur, in quibus certe erant *oppida foederata.*

Foederatarum civitatum parvus semper fuit numerus, neque est exemplum ullum oppidi foederati, quod ad Latinitatem transierit. Nec mirum hoc est, cum vel *foederis* cum *civitate Romana* permutatio, ut constat ex iis, quae Heracleae et Neapoli acciderunt, (1) molestiam interdum haberet.

In Baeticae *oppidis foederatis* secundum Plinium (2) etiam Malaca fuit. Utrum Salpensa quoque fuerit, non constat. Verisimillima tamen est coniectura, ex qua, propter commemorationem *civitatis* in tabula Salpensana, Salpensa cum Malaca aequatur. (3)

Sed redeamus ad Vespasianum. Si *ius Latii* tantum oppidis inferioris ordinis usui erat, i. e. *stipen-*

(1) Cic. pro Balbo, 8, 21. „In quo magna contentio Heracleensium et Neapolitanorum fuit, quum magna pars in iis civitatibus foederis sui libertatem civitati anteferret. Postremo haec vis est istius et iuris et verbi, ut fundi populi, beneficio nostro, non suo iure fiant."

(2) H. N. III, 1, 8.

(3) Zumpt. l.l. 315 sqq.

diariis, quid ceteris datum esse putabimus? Nihilne iis tributum? Vix credi potest. Nonnulla quoque sunt indicia, quae contra probant, *oppida* saltem *Latina*, fortasse et *foederata*, ad *municipiorum* ordinem transiisse.

Nullas adhuc invenimus in Hispania iuris mutationes, quae non cum iis, quae veteres hac de re prodiderunt, conveniant. Num secus erit in iis, quae de oppidis Malaca et Salpensa nunc accepimus?

Civitates minoribus iuribus saepius, ut supra vidimus, oppidis maioris ordinis sunt *attributae*. Id vero Malacae quoque et Salpensae locum habuisse verisimillimum est. Romae tribuentes quae ex foedere tribuenda erant, utriusque civitatis *foederatae* cives, suas proprias sequebantur leges, ex quibus *sibi solis* et magistratus accipere et comitia habere licebat; *attributae* autem civitates, a quibus haec iura aberant, tributa pendebant.

Iam vero accidit, ut Vespasianus *Latinitatem* offerret. Haec prodesse *attributis* tantum poterat, ipsis Salpensanis et Malacitanis, foederatorum oppidorum civibus, sola *Romana civitas* pretii alicuius erat.

Civitatem Romanam fortasse iis obtulit Vespasianus, quam accepisse tamen non videntur, adiectae enim esse potuerant conditiones, quae iis displicebant.

Qui cum ius illud recusassent, *attributi* illi in

utraque civitate, quamquam in meliorem conditionem redacti, maximis tamen emolumentis carebant, quae alibi cum Latinitate erant coniuncta.

Cum enim cives non essent *civitatis foederatae*, iure etiam diversi erant ab ipsis civibus Malacitanis et Salpensanis, itaque interclusus iis erat ad honores, perque eos ad *civitatem Romanam* aditus.

Quo propius a civitate illa aberant, eo minus ab omni se reipublicae communione exclusos esse ferre poterant. Domitiani vero edictum effecit, ut *foederatis* concederetur *civitas Romana*. Quam postquam hi acceperunt, mox utraque respublica lege hac municipali constituta est, desieruntque cives a civibus invidiose separari.

Nova tunc exorta est iuris conditio: Malaca et Salpensa, quarum foederati civitatem Romanam acceperant, *municipia* facta sunt, quae *duo* habebant municipum *genera*, cives *Romanos* et *Latinos*, quorum his, ad honores municipales adipiscendos admissis, iam facultas data est *civitatem Romanam*, tamquam summum bonum, appetendi.

Quibus in medium prolatis, disputationi gravissimae his verbis finem imponit Zumptius:

„Hac ratione nihil in aere Salpensano aut Malacitano est, quod non explicetur, nihil, quod ab aliis scriptoribus aut aliis monumentis tradatur, quin confir-

metur atque illustretur, neminem denique peccasse statuimus, ut nostra sapientia stet. Neque hercle hoc nobis debet obiici, in quibusdam rebus, quae scriptorum testimoniis parum illustrantur, coniectura nos esse usos magisque quod probabile quam quod verum sit protulisse. Id intelligimus ipsi atque initio disputationis nostrae commemoravimus; sed parum proficiamus in nostris litteris, si nulla coniectura admittatur mathematicorumque more ubique demonstratio postuletur." (1)

Audita utraque parte, fatemur nobis reiiciendam videri Mommseni de duplici municipiorum sub Imperatoribus genere sententiam.

Nam, de nostro quidem iudicio, ipsa neque cum antiquorum scriptorum de municipiis testimoniis congruit et vero argumentis nititur parum firmis.

Contra ex his testimoniis nullum dubium esse de *civitate Romana* omnium municipiorum Domitiani aetate: utrumque aes tam Malacitanum quam Salpensanum nihil habere, quod indicet haec municipia deteriore fuisse iuris conditione, quodve cum reliquis de municipiis testimoniis pugnet: non repugnare inter se haec veterum testimonia et ius ipsum, quod eo tempore Hispania imprimisque Malacae et Salpensae valebat:

---

(1) l.l. pag. 321.

haec tria, quae sane in hoc argumento sunt gravissima, a Zumptio sic exposita esse censemus, ut, licet in paucis fortasse dissentias, ne eorum quidem, qui post eum scripserunt, commentationes ad Mommseni sententiam commendandam multum conferre videantur.

Itaque Tabulae Hispanicae nihil, ut opinamur, in hac causa afferunt, quod contrarium sit notioni a veteribus nobis traditae: municipia sub Imperatoribus habuisse *civitatem Romanam.* In qua sententia et alios et vero Walterum (1) perseverasse magno nobis gaudio est. Quamobrem hîc *ἀκίνητον ἄμεινον* de Mommseni opinione usurpare nobis liceat.

---

(1) Ges. des Röm. Rechts, (dr. Aufl.) 1860. I, 479.

CAPUT II.

Tabula Salpensana.

Exposita quaestione universa, pergimus ad utriusque Tabulae argumenta singillatim commemoranda. Quodsi in superioribus interdum ultra probabilitatem progredi haud licuit, hîc etsi non omnia plana et expedita esse apparebit, plerumque tamen certiora afferri poterunt.

Ordimur autem a Tabula Salpensana.

§ 1.

DE CIVITATE ROMANA PER MAGISTRATUM CONSEQUENDA.

Hoc argumentum est C. XXI, quod tamen mutilum ad nos pervenit; incipit enim a verbo „abierint," cui Mommsenus ex coniectura haec praemisit:

„*Qui IIvir aedilis quaestor ex hac lege factus erit, cives Romani sunto, cum post annum magistratu* abierint."

Qua coniectura probata, affirmatur, hos magistratibus illis functos civitatem consequi „cum *parentibus coniugibusque* ac *liberis*, qui legitumis nuptis quaesiti in potestatem parentium fuerint, item nepotibus ac neptibus filio natis natabus, qui quaeque in potestate parentium fuerint; dum ne plures cives Romani sint, quam quod ex hac lege magistratus creare oportet."

Apparet igitur, non solum illum, qui erat *municeps Latinus*, si duumviratum, aedilitatem vel quaesturam gesserat, adipisci *civitatem Romanam*, sed in huius iuris communionem totam venire familiam.

Etiam is, qui imperatoris loco ab ipso imperatore praefectus vel duumvir creatur, magistratu functus acquirit civitatem Romanam nec *sibi* tantum *soli*, sed etiam *toti familiae*.

Hoc enim C. XXIV legimus:

„Et loco suo praefectum quem esse iusserit, is praefectus eo iure esto, quo esset, si eum IIvirum" rel.

Ille vero, qui a *IIviro* praefectus relinquitur, hoc ius non consequitur. Legitur enim C. XXV:

„Praeterquam de praefecto relinquendo et de *civitate Romana consequenda.*"

Magistratus autem non statim, sed tum demum *civitatem Romanam* consequuntur, quando munus deposuerunt. Quodsi Mommsenus recte coniecit *„cum post annum magistratu* abierint" videntur illi, quibus hic honos obtingeret, munus per *totum* annum gerere debuisse, ii vero, qui anno nondum exacto abierant, *civitatem Romanam* non potuisse acquirere. (1)

In pugna de loco mutilo in Gaii Commentariis (2) restituendo vel emendando, ex quo loco nonnullorum orta est opinio de *duplici* Latii *genere*, quorum alterum *maius*, alterum *minus* fuerit, non poterant non huius sententiae fautores repertis Malacae tabulis admodum gaudere, putantes, in hoc de quo agimus capite, opinionis suae se invenisse praesidium.

Longus essem si hîc enumerarem coniecturas de hoc

---

(1) Mommsen, l.l. 403 sqq.

(2) I, 95, 96.

Gaii loco propositas a Niebuhrio, Mommseno, Huschkio, Puchta, Rudorffio aliisque (1). Plerique, ut fieri solet, aliquo veterum loco opinionem suam firmare conati sunt. (2)

Sufficit commemorare, Mommsenum (3), ceteros, qui de *iure Latii* scripserunt, hoc capite tamquam certissimo argumento usos esse, perhibentes coniecturas ad Gaii locum illum restituendum a se factas cum hoc ipso capite convenire. Hoc loco, aiunt, est exemplum *maioris Latii:* magistratus enim munus deponentes, non tantum sibi ipsis, verum etiam toti suae familiae *civitatem Romanam* adipiscuntur. Quodsi contra sibi *solis* civitatem Romanam consequuntur, adest *Latium*

---

(1) Vid. Niebuhr, Röm. Gesch. (ed. 2a) II, 92, n. 163. Rudorff, de mai. ac min. Latio ad Gaium I, 95, 96. Huschke, Gaius, 3—24. Walter, Röm. Rechtsg. I, 334.

(2) Cff. Cic. ad Attic. V, 11. Asconius in Pison., 3 ed. *Orell.* Appianus II. 26: „ὅσοι κατ' ἔτος ἦρχον ἐγίγνοντο Ῥωμαίων πολῖται· τόδε γὰρ ἰσχύει τὸ Λάτιον."

(3) Ratione habita Capitis XXI, sic loquitur pag. 405 l.l. „Den Begünstigten ward das Bürgerrecht nicht bloss für ihre Person erworben, sondern auch ihren Aeltern, Frauen und eheleiblichen, nicht aber den adoptiven Descendenten in der Gewalt, so dass also das den spanischen Gemeinden zuständige latinische Recht dasjenige war, welches die Juristen der Kaiserzeit das *grössere Latium* nannten, im Gegensatz des *kleineren*, welches das Bürgerrecht nur *individuell* verlieh."

minus. Quibus positis statuere sibi licere concludunt fuisse *duplex ius Latii.*

Itane vero est? num in ea conclusione acquiescere nobis licet?

Quaestio illa de *duplici Latio* ab iis, de quibus in hoc capite sermo est, prorsus aliena esse videtur.

Hae Inscriptiones duas habent leges municipales Salpensanis scriptas et Malacitanis, itaque C. XXI tantum agit de magistratibus in municipiis illis munere suo functis.

Quaestio autem de duplici Latio ibi tantum moveri potest, ubi sermo est de *Latino*, magistratum gerente in *colonia Latina.* Hoc igitur caput, quo de agimus, pro duplici Latii iure nihil probat. Opinamur, illum, qui in municipiis magistratu suo per annum functus erat, ipsum cum tota familia civitatem Romanam semper acquisivisse. Quodsi secus fuisset, hae leges id monuissent.

Eadem est sententia doct. Giraud. (1)

---

(1) l.l. 37: „Ce qui regarde le *maius Latium* de Niebuhr est, je crois, tout à fait étranger à la question qui nous occupe; et il me semble que tel est aussi l'avis de M. Mommsen, puisqu'il ne donne que *transeundo* sa restitution, très-conjecturale en effet."

§ 2.

DE POTESTATE, MANU ET MANCIPIO.

Hac de re agitur in aeris Salpensani C. XXII, quo loco legimus: „Qui quaeque ex hac lege exve edicto imperatoris Caesaris Augusti Vespasiani imperatorisve Titi Caesaris Augusti aut imperatoris Caesaris Augusti Domitiani patris patriae civitatem Romanam consecutus consecuta erit, is ea in eius, qui civis Romanus hac lege factus erit, *potestate manu mancipio*, cuius esse deberet, si civitate mutatus mutata non esset, esto idque ius tutoris optandi habeto, quod haberet, si a cive Romano ortus orta neque civitate mutatus mutata esset."

Non opus est, ut hîc de *patria potestate*, de *conventione uxoris in manum mariti*, de *mancipio* accurate exponamus, explicandum tantum nobis est, quid novi ex hoc capite discamus. (1)

Hoc caput, quemadmodum ex ipsis verbis intelligitur, pertinet ad ea, quae in legem de municipio Flavio Salpensano recepta sunt ad usus et commoda eorum municipum, qui cum non essent cives Romani,

---

(1) Cff. Gaius, Instit. Comm. I, 55 sqq. 108 sqq. 116 sqq. Ulp. Fragm. V, X. Iust. Instit. I. 9, 12.

ex hac lege exve edicto cives Romani facti sunt. Iis enim, qui iam prius municipes cives Romani erant, de impetranda civitate aliquid statuere inutile fuisset, quoniam hi cives Romani optimo iure erant.

Quemadmodum ex superiore legis capite vidimus, municipem Latinum fieri civem Romanum, quando per annum integrum magistratu aliquo, sive IIviratu sive quaestura sive aedilitate, functus est, ita ex C. XXII apparet eum, qui civis Romanus factus est, iisdem in iuris rationibus manere debere quae *potestate, mancipio* et *manu* prius exstiterant aeque ac si ipse et uxor et liberi municipes Latini mansissent.

Docemur itaque hoc capite, etiam apud Latinos fuisse *potestatem*, *mancipium* et *manum*. Quae autem fuerint horum formae, quae vis, qui effectus, ex hac Tabula haudquaquam apparet. Fortasse eandem haec vim habuerunt, atque apud Romanos, sed incertum est.

Sed quomodo haec, quae dicta sunt, coniungi possunt cum iis, quae de patria potestate nos docet Gaius?

„Item, ait, in potestate nostra sunt liberi nostri, quos iustis nuptiis procreavimus. Quod ius *proprium* civium Romanorum est: *fere* enim nulli alii sunt homines, qui talem in filios suos habent potestatem qualem nos habemus." (1).

---

(1) I, 55.

Alio autem loco haec sunt:

„nec fere ulla civitas est, in qua non licet parentibus liberis suis impuberibus *testamento* tutorem dare; quamvis, ut supra diximus, soli cives Romani videantur tantum liberos in potestate habere." (1)

Gaius, ita dicat quis, loquitur quidem de cive Romano, sed non significat civem Romae tantum degentem. Ubicunque igitur cives Romani erant, ibi omnia iura valebant, quae cum civitate Romana erant coniuncta.

Ita statuere liceret, si in hoc Capite non legeretur, unumquemque manere debere in potestate manu mancipio eius, in cuius potestate manu mancipio esset, *si civitate mutatus mutata non esset.* Unde sequitur: eum, qui non erat civis Romanus, tamen in potestate, mancipio, manu esse potuisse.

Sed Gaius ait: „*fere* enim nulli alii sunt homines," quo significat, etiam alios quosdam fuisse, qui talem potestatem in filios haberent, qualem Romani. Gaii igitur haec scribentis animo *Latini* fortasse obversabantur. (2)

---

(1) l.l. § 189. Dirksen, Rechtsgel. Abhandlungen, 688—697.

(2) Recte Giraud, l.l. 35 „Gaius parle de nations étrangères quand il dit: *Fere nulli alii sunt homines qui talem habent potestatem.* Au temps où il écrivait, les anciens Latins jouissaient, depuis deux siècles, de la *civitas romana*, et, par conséquent de la

Haec quidem de *potestate;* quid vero de *manu* Gaius nos docet?

De hac re certissime loquitur: (1)

„*Nunc de his personis uideamus quae in manu nostra sunt. Quod* et ipsum ius *proprium* civium Romanorum est."

Pugnat cum hac praeclari Icti sententia illud, quod in hoc Capite legitur:

„is ea in eius, qui civis Romanus hac lege factus erit, potestate manu mancipio, cuius esse deberet, *si civitate mutatus mutata non esset,* esto." i. e. si *civis Romanus* factus non esset.

En hoc quoque loco argumentum, quo probes, *manum* non tantum notam sed etiam in usu apud cives *non* Romanos fuisse. Hocce igitur dilemmate tamquam

---

patria potestas, qui', dans son application à l'Italie, n'avait rencontré aucune incompatibilité de moeurs, pas plus que la *mancipatio* ou *nexum*, pas plus que la procédure; par la raison bien simple que l'ancien municipe de Rome avait pris ces institutions dans les anciennes coutumes latines ou italiques, comme il y en a bien des preuves. En supposant donc qu'une *patria potestas* analogue à celle des Romains n'existât pas chez les Latins primitifs, qui aurait pu empêcher les Latins extra-italiens d'adopter le droit romain pour le gouvernement de leurs familles? Rien nest plus simple à supposer et plus facile à justfier, le *pro Balbo* à la main. On pouvait le présumer avant la découverte des bronzes; on en a la preuve positive aujourd'hui.

(1) l.l. 108 sqq.

intercludimur: aut Gaio fides est habenda aut huic Capiti, quoniam prorsus contraria docent.

Gaius *manum* dicit *ius proprium civium Romanorum*, hoc Caput longe secus docet.

Quomodo haec testimoniorum discrepantia tollenda sit, quaeritur. Ponere enim licet, Gaium Latinorum conditionem qualem fuisse ex hoc Capite accipimus, non ignorasse, cum leges hae municipales Domitiani aetate scriptae sint, Gaius autem, ut satis notum, Hadriani tempore vixerit.

Solvi potest difficultas, si statuimus, non nimis urgendum esse vocabulum „proprium." Hoc Gaius significat, *manum* esse institutum profectum a *civibus Romanis*, non vero *manum* apud solos cives Romanos in usu fuisse.

In fine huius Capitis haec verba leguntur:

„idque ius tutoris optandi habeto, quod haberet, si a cive Romano ortus orta neque civitate mutatus mutata esset." (1)

Ex quibus verbis apparet, municipi Latino, qui aliquo modo civitatis Romanae fit particeps, ius tribui tutorem optandi illud, quod habuisset, si ortus ex *cive Romano* semper *civis Romanus* mansisset.

Videamus, quid iuris ante-Iustinianei fontes hac de

---

(1) Mommsen, Die Stadtrechte. 459 sqq.

re doceant. Ipsum enim Iustinianum consulere non necesse est, cum huius aetate tutela mulierum, ideoque simul tutoris optio, abrogata esset.

Gaius igitur (1) de tutoris optione ita loquitur:

„In persona tamen uxoris quae in manu est, recepta est etiam tutoris optio, id est ut liceat ei permittere quem velit ipsa tutorem sibi optare, hoc modo *Titiae uxori meae tutoris optionem do.* quo casu licet uxori (*eligere tutorem*) vel in omnes res vel in unam forte aut duas. Ceterum aut plena optio datur aut angusta."

Ulpianus haec dicit:

„Tutores constituuntur tam masculis, quam feminis: Sed masculis quidem impuberibus dumtaxat propter aetatis infirmitatem: feminis autem (*tam*) impuberibus quam puberibus, et propter sexus infirmitatem et propter forensium rerum ignorantiam."

Haec omnia plana sunt. Hoc vero Caput non solum de solita optione tutoris loquitur, sed etiam de tutelae optione, qua et *Latino* municipi, qui *civis Romanus* factus est, ius tribuitur, quod habet *civis Romanus* ex *cive Romano* ortus, nimirum ius tutoris optandi. Hoc enim inest verbis:

„idque ius tutoris optandi habeto, quod haberet, si a cive Romano ortus orta. . . . . esset."

---

(1) I, 148 sqq. Ulpian. Fragm. XI, 1.

De tali optione tutoris, qualis hoc loco viro tribuitur, nec Gaius nec Ulpianus loquuntur. Ubi enim Gaius ait: „in persona tamen uxoris," iam e vocabulo *tamen* apparet, huiusmodi optionem tutoris in viris non in usu fuisse.

Domitiani igitur temporibus fuit fortasse talis optio tutoris tam maritis quam uxoribus.

Quidquid statuis, postrema verba C. XXII Tab. Salp. difficilia semper erunt explicatu.

De maritorum optione tutoris cogitari hîc non potest. Impubes enim, i. e. qui nondum XIV annos natus est, uxorem ducere non poterat; usque ad annum aetatis suae XIV in tutela erat. Dici hîc non potest de tutore eligendo ab aliquo, qui non amplius in tutela est. *Sibi* ergo maritus tale ius numquam habere potuit.

Quid igitur dicendum superest?

Supersunt duo modi, quibus ultima huius Capitis verba interpretari possimus; et primo quidem loco dicere licet: formulam „ortus orta" non probare pupillum ius optandi tutorem habuisse, (intelligi enim nequit, patremfamilias testamento filio suo, X vel XI vel XII annos nato, ius dedisse tutorem eligendi, aut marito ius fuisse datum, quo ei non opus erat) sed formulam illam ideo fuisse scriptam, quod ita scribi solebat in tabulis publicis, ut in huius illiusve tabulae Capitibus cum masculina tum feminina inveniretur forma, licet

ea legis pars aut solum virum, aut solam mulierem spectaret. Secundum hanc explicandi rationem legislator hoc quoque loco optionem tutoris mulieribus tantum concessit.

Quae tamen si displiceat interpretatio, nodum expedire possumus statuendo: verba *idque ius tutoris optandi habeto* non eo valere, ut maritus hoc ius habuerit *sibi*, sed ut ius ei concessum fuerit testamento declarandi, se *uxori* tutoris optionem relinquere. (1)

Tandem animadvertere nobis liceat, dicendi formam *civitate mutari* pro: *civitate mutata*, quamquam minus frequentem, classicis tamen Ictis non ignotam fuisse, quippe qui pro *familia mutata* saepe dicerent: *familia mutari.*

Ita exempli gratia Paulus, ubi dicit: (2)

„Tutelas etiam non amittit capitis minutio, exceptis his, quae in iure alieno personis positis deferuntur. Igitur testamento dati, vel ex Lege vel ex Senatusconsulto, erunt nihilominus tutores. Sed legitimae tutelae ex duodecim tabulis intervertuntur eadem ratione qua et hereditates exinde legitimae, quia agnatis deferuntur, qui desinunt esse *familia mutati.*" (3)

---

(1) Rudorff, das Recht der Vormundschaft, I, 274 sqq. Giraud l.l. 37 sqq. Laboulaye l.l. 18. Huschke l.l. 15 n. b.

(2) L. 7 pr. D. de cap. min. (IV. 5).

(3) G. Serrurier, De potestate, manu, mancipio ad locum Gai.

§ 3.

DE IURIBUS LIBERTORUM RETINENDIS.

Omnes qui quaeve, ita legimus in C. XXIII, secundum hanc legem, i. e. secundum legem in his Tabulis scriptam, vel secundum edictum imperatoris Vespasiani, Titi, aut Domitiani civitatem Romanam consecuti fuerint, ii in libertos libertasve suos suas paternos paternas, *eadem* iura retineant, ita scilicet si illi liberti vel libertae in civitatem Romanam non venerint, i. e. si *cives Romani* non sint facti. Haec verba deinceps leguntur:

„deque bonis eorum earum et is, quae libertatis causa inposita sunt, idem ius eademque condicio esto, quae esset, si civitate mutatus mutata non esset."

Quemadmodum iam satis ex ipso Capitis titulo: „Ut qui civitatem Romanam consequentur, iura libertorum retineant" atque ex verbis „civitate mutatus mutata non esset" apparet, ita hoc quoque Caput eos spectat, qui nondum cives Romani erant, sed qui *ex hac*

Trai. ad Rhen. 1838. Roszbach, Untersuchungen über die römische Ehe.

lege vel *ex edicto imperatoris* cives facti erant, quique in his municipiis, nominatim Salpensae degebant. De civibus enim Romanis, i. e. de *municipibus civibus Romanis*, qui civitate Romana iam ornati erant, supervacuum fuisset de consequenda civitate Romana loqui.

Ex hoc igitur Capite accipimus, municipem Latinum, qui servum suum modo legitimo manumiserat, ita ut servus fieret *Latinus* (*civis* enim *Romanus* fieri is servus non poterat (1)), hunc igitur manumittentem: ius aliquod tum in personam tum in bona liberti retinuisse, praeterea a liberto hoc nomine officia quaedam manumissori suo praestanda fuisse.

Illud consequitur, Latinos, aeque ac cives Romani, iura quaedam in libertos suos retinuisse.

Quodsi quaerimus, quaenam iura illa fuerint, quae officia, responderi ex hoc legis Capite non potest. Fortasse in alio quodam capite quod est in deperditis, haec instituta legebantur.

Certo igitur iura illa et officia tradere non possumus; probabili tamen coniectura uti nobis videmur,

---

(1) Nemo enim plus iuris in alterum transferre potest, quam ipse habet. Verba autem: *qui quae in civitatem Romanam non venerit* spectant ad servum manumissum, nunc Latinum. Ille vero Latinus civis Romanus fieri poterat, v. c. magistratu aliquo functus.

si statuimus, eadem illa fuisse, quae civibus Romanis erant in libertos suos.

Apud hos novimus, libertum patrono (1) obedire debuisse eumque patris instar revereri. Itaque liberto non licebat sine venia praetoris patronum suum in ius vocare. (2) Pariter novimus, libertum, si ingratus fuerat erga dominum pristinum rursus in servitutem detrudi, eiusque cadaver e patroni sépulcro repelli.

Haec de officiis liberti deque iuribus patroni in eum novimus: iura vero patronorum in libertorum bona, quorum hîc quoque fit mentio, aliis temporibus alia fuerunt.

Gaius (3) tres distinguit periodos:

Primo leges XII tabb. commemorat, tum edictum perpetuum, denique legem Papiam (de maritandis ordinibus).

„Olim," ait Gaius, „itaque, licebat liberto patronum suum in testamento praeterire: nam ita demum lex XII tabularum ad hereditatem liberti vocabat patro-

---

(1) C. L. Schüller in diss: de necessitudine cum morali tum civili inter patronum et libertum. Trai. ad Rhen. 1838.

(2) L. 4 § 1 D. de in ius vocando (II. 4):

„Praetor ait: parentem, patronum, patronam, liberos, parentes patroni, patronae in ius *sine permissu meo* ne quis vocet."

(3) III, 40 sqq.

num, si intestatus mortuus esset libertus nullo suo herede relicto."

Gaius ita pergit:

„Qua de causa postea praetoris edicto haec iuris iniquitas emendata est: sive enim faciat testamentum libertus, iubetur ita testari, ut patrono suo partem dimidiam bonorum suorum relinquat."

Lege autem Papia Poppaea, secundum Gaium, hoc constitutum est:

„Cautum est enim," inquit, „ea lege; ut ex bonis eius qui sestertiorum *nummorum centum milium plurisve patrimonium reliquerit*, et pauciores quam tres liberos habebit, sive is testamento facto sive intestato mortuus erit, virilis pars patrono debeatur."

Quae de iuribus illis atque officiis diximus, ea pertinent ad manumittentes *cives Romanos*. De *Latinis* coniicere licet, eadem, vel similia, apud hos in usu fuisse instituta.

§ 4.

DE TUTORUM DATIONE.

Argumentum C. XXIX tab. Salp. postulat, ut dicamus de *tutela*, et de *tutela* quidem *dativa*, ac videamus, quatenus hoc iuris institutum inde illustretur.

Quid igitur Caput XXIX complectitur?

„Cui tutor non erit incertusve erit, si is eave municeps municipi Flavi Salpensani erit; et *pupilli pupillaeve non erunt;* et ab IIviris, qui iure dicundo praeerunt eius municipi, postulaverit, uti sibi tutorem det; et eum, quem dare volet, nominaverit: tum is, a quo postulatum erit, sive unum sive plures collegas habebit, de omnium collegarum sententia, qui tum in eo municipio intrave fines municipi eius erit, causa cognita, si ei videbitur, eum qui nominatus erit tutorem dato. Sive is eave, cuius nomine ita postulatum erit, *pupillus pupillave erit,* sive is, a quo postulatum erit, non habebit collegam collegave eius in eo municipio intrave fines eius municipi nemo erit: tum is, a quo ita postulatum erit, causa cognita, in diebus X proxumis, ex decreto decurionum, quod cum duae partes decurionum non minus adfuerint factum erit, eum, qui nominatus erit, quo ne ab iusto tutore tutela abeat, ei tutorem dato. Qui tutor hac lege datus erit, is ei, cui datus erit, quo ne ab iusto tutore tutela abeat, tam iustus tutor esto, quam si is civis Romanus et adgnatus proxumus civis Romanus tutor esset." (1)

Perspicuum est, hoc Capite conditionem exponi eorum impuberum, quibus neque testamentarius neque legitimus est tutor. Eiusmodi impuberi ex hoc

---

(1) Dirksen l.l. 703—706, Mommsen l.l.437—442.

Capite legis a legitimo magistratu tutor datur. Romae huic rei prospiciebat lex Atilia. Quae in hoc Capite statuuntur ad exemplum legis illius Atiliae facta esse videntur. Apud Gaium (1) ita hac de re legimus: „Si cui nullus omnino tutor sit, ei datur in urbe Roma ex lege Atilia a praetore urbano et maiore parte tribunorum plebis, qui Atilianus tutor vocatur; in provinciis vero a praesidibus provinciarum ex lege Iulia et Titia. (2)

Hîc tutoris datio, aeque ae manumissio servorum summo in municipiis magistratui defertur, i. e. IIviro.

Interest tamen aliquid inter ea, quae de tutela dativa praecipiuntur et ea, quae in manumissione iubentur. Magistratus enim in municipiis servos manumittere possunt tantum rogatu *municipum Latinorum*, IIviris autem conceditur tutores dare etiam *civibus Romanis*. (3)

---

(1) I, 185.

(2) Ulp. Fragm. XI, 18. Iust. Instit. I, 20 pr.

(3) Animadvertendum est plurimos Ictos, quorum scripta ad nos pervenerunt, nos docere a Divo Marco primum magistratibus provincialibus concessum fuisse ius dandi tutores; nostrae autem leges municipales et quidem in C. XXIX nos docent iam Domitiani tempore tutores a Duumviris fuisse datos. Vid. Zimmern, Geschichte des Röm. Privatrechts, I, 877. sqq. Dirksen, Vermischte Schriften. das Atilischen gesetz, vol. I. Rudorff, Röm. Rechtsgesch. I, 336.

Nonnnulli (1) putarunt, in hoc Capite sermonem esse de *duobus* tutelae generibus, altero *mulierum*, altero *pupillorum* et *pupillarum*.

Nobis autem de *pupillis* tantum agi videtur.

Qui perhibent, cogitandum hîc esse de *tutela mulierum*, quae dicitur, allegant verba: *pupilli pupillaeve non erunt*, quae verba tutelam mulierum spectarent; verba vero in altera huius Capitis parte: „sive is eave, cuius nomine ita postulatum erit, *pupillus pupillave erit*" eos significarent, qui sunt infra XIV et XII annos.

Verum ideo censemus hîc tantum de *pupillis* quaestionem esse, quod nullus veterum locus afferri potest, in quo, cum agitur de tutela mulierum, haec verbis *pupillos pupillas non esse* indicatur. Quod si revera ita esset, numquam *pupilli pupillae* dicendum erat, sed sufficerent sola verba: *pupillas non esse.*

Sententia igitur horum verborum longe alia esse debet et haec quidem, ut significetur municeps tutorem postulans pro *pupillo* vel *pupilla* qui *non* sunt *municipes* sed *incolae.*

Utut statuis haec verba difficultate non carent; illud certum utique ad *tutelam mulierum* ea non pertinere.

Hoc igitur Caput ius continere videtur, ex quo

---

(1) Dirksen, Rechtsgel. Abhandlungen, 705. Mommsen, l.l. 442.

IIviro municipii Salpensani licebat tutorem dare iis, qui huius municipii *incolae* tantum erant, sed rogatu dumtaxat municipis alicuius.

Tutor tunc tantum dari potest, ut hoc Caput docet, *cum tutor non erit incertusve erit.* Quid haec verba sibi velint, Gaius explicat, ubi de legis Atiliae argumento agit. (1)

Verba *cum tutor non erit* significant: si tutor legitimus mortuus est; verba autem *incertus tutor* indicant illud tempus, quo dubium est, utrum tutor legitime exsistat, e. gr. si tutor captus sit necdum vinculis solutus et reversus.

„Ab hostibus quoque," ait Gaius, „tutore capto, ex iis legibus tutor dabitur, qui desinit tutor esse, si is qui captus est, in civitatem reversus fuerit: nam reversus recipit tutelam iure postliminii."

Sin, tutore a legitimo magistratu dato, postea apparet, esse tutorem testamentarium aut legitimum, illa tutoris datio, a magistratu facta, irrita est; namque ita dari tutor debet: *quo ne ab iusto tutore tutela abeat.*

Deinde ex hoc Capite discimus, magistratum, cui tutorem dandi ius est, cognoscere debere, an aptus

---

(1) I, 187. Iust. Instit. I, 20, 2. Rudorff, Das Recht der Vormundschaft, I, 305.

sit et dignus is, qui tutor nominatus est, causaque cognita demum ad tutorem dandum transire.

IIviri esse officium, ut cautionem dare iubeat tutorem nominatum et per fideiussores promittere: „rem pupilli salvam fore," in hoc Capite praescriptum non invenimus.

Haec tamen stipulatio quin legislatori nota fuerit, nullum est dubium. Itaque verisimile est haec et alia in hac lege fuisse recepta.

Postrema autem pars Tabulae nostrae non amplius superest, ita ut nihil certi hac de re dicere possis. (1)

Institutum illud, quo tutor, in his municipiis a IIviro datus, *civi Romano proxumo agnato* aequetur, manifeste ex lege Atilia in has leges translatum est.

IIvirum oportet dare tutorem cum collegarum suorum consensu, quatenus scilicet hi intra fines municipii adsunt, si tutor a *municipe* Salpensano postulatur pro pupillo pupillave *non* municipi, sed *incolae* tantum.

Sin contra a *municipe Salpensano* tutor postulatur pro pupillo pupillave *municipe Salpensano*, vel si,

---

(1) Cf. Instit. Iust. I, 20, 3:

„Sed ex his legibus tutores pupillis desierunt dari posteaquam primo consules pupillis utriusque sexus tutores ex inquisitione dare coeperunt, deinde praetores ex constitutionibus. Nam suprascriptis legibus neque de cautione a tutoribus exigenda, *rem salvam pupillis fore* neque de compellendis tutoribus ad tutelae administrationem quicquam cavetur."

quando tutor postulatur, nemo collegarum IIviri adest, tunc IIvir tutorem nominatum det necesse est, sed *causa cognita* atque ex *decurionum* decreto, quod decretum factum esse oportebit intra X dies proximos, (1) inde a tempore quo tutor postulatus est; non tamen ratum est hoc decretum nisi affuerint *duae partes* decurionum Salpensae, nec minores. (2)

§ 5.

DE SERVORUM MANUMISSIONE.

Caput XXVIII aeris Salpensani inscribitur:

De servis apud IIvirum manumittendis.

Spectat hoc Caput servorum manumissionem a *municipe Latino* apud IIvirum municipii Salpensani peragendam. Itaque in iis est, quae in commodum multorum illorum municipum Latinorum, qui Salpensae degebant, et scripta sunt et in legem municipalem municipii Flavii Salpensani sunt recepta.

Si municeps Salpensanus, qui Latinus est, apud

---

(1) Cum hîc in *dies X proximos* tempus definiatur, in priore causa tutoris datio *statim* locum habuise videtur, quando scilicet omnia, quae lex requirebat adessent.

(2) Rudorff, das Recht der Vormundschaft. II, 215. Mommsen l.l. 439 sqq. v. Savigny, System. VIII, 341 sqq.

IIvirum huius municipii servum suum servamve manumiserit, manumissio rata esse dicitur; quodsi *pupillus*, *virgo* vel *mulier* id fecerit, haec manumissio tunc tantum conceditur, et legitima futura est, cum fit auctoritate tutoris. Docemur deinceps, hos manumissos fieri libertinos Latinos et quidem optimo iure, h. e. quemadmodum cives Romani optimo iure omnium iurum cum civitate Romana coniunctorum sunt participes, ita quoque Latinos optimo iure Latinitatem consequi optimam. (1)

Postremo loco monetur: si quis non amplius pupillus est, i. e. si qui maior est XIV annis, sed vicesimum aetatis suae annum nondum implevit, eum manumittere iuste non posse, nisi decurionum huius municipii numerus, qui requiritur, causam manumissionis probaverit. (2)

Ea, quae ex more fieri debent in manumissione, apud IIvirum (3) fieri debere, ipsa docet Capitis inscriptio.

Forma tamen manumissionis accuratius in hoc Ca-

---

(1) Cf. H. E. Dirksen, Rechtsg. Abhandl. 699.

(2) Cff. Mommsen l.l. 434 sqq. Giraud l.l. 102 in fine.

(3) Mommsenus l.l. n. 126 citat L. 1 §. 1 D. de offic. cons. (I. 10), quo loco legitur, „*consules et seorsum singuli manumittunt.*" In ipso autem Capite XXVIII legimus: „apud IIviros." Quomodo haec sunt coniungenda? Verba *apud IIviros* explicanda videntur ex errore illius, qui legem descripsit pro „IIvirum."

pite non exponitur. Diversae vero formae his verbis indicantur: *apud IIvirum ex servitute in libertatem manumittere, liberumve esse iubere.*

Priora verba: *apud IIvirum in libertatem manumittere,* pertinent ad eam manumissionis formam, quae vindicta dicitur.

Quod si cui haec explicatio nostro loco displiceat, statuenti hunc manumittendi modum Latinis haud in usu fuisse, respondemus, etsi non constet, videri tamen eum notum fuisse Latinis. Plura saltem civium Romanorum instituta aut ab his in Latinos translata sunt, aut antiquitus iam in Latio in usu fuerunt. Ita e. gr. novimus, mancipationem tam Latini quam Romani moris fuisse.

Posteriora verba: *liberum esse iubere,* quaestionem provocarunt, num legislator hoc loco unam eandemque rem duabus designaverit loquendi formulis. Hoc placuit nonnemini. Alii autem contra statuentes, in quorum sententiam equidem inclino, aut verbum *manumittere* retulerunt ad ea, quae a magistratu peragenda sunt in manumissione, verba vero *liberum esse iubere* ad dominum servi dicentem: hunc servum liberum esse volo, aio vel iubeo: aut priore verbo intellexerunt manumissionem vindicta, posterioribus autem verbis reliquas manumissionis formas id est censu et testamento. Neque desunt qui se nesci-

re profiteantur quid hac de re statuendum sit. (1)

Difficilius est hanc sententiarum discrepantiam tollere quam fontem indicare unde conditio manarit, qua minoribus viginti (2) annis manumittere licet. Quod enim a iusto decurionum numero causa manumissionis probanda est, in eo non temere imitatio animadverti videtur legis Aeliae Sentiae.

Haec enim lex, lata quarto anno post C. N., sic praecipit:

„Ea lex minores XXX annorum servos non aliter voluit manumissos cives Romanos fieri, quam si vindicta, aput consilium iusta causa manumissionis adprobata, liberati fuerint.

Item eadem lege minori XX annorum domino non aliter manumittere permittitur, quam si vindicta apud consilium iusta causa manumissionis adprobata fuerit." (3)

Quando igitur cives Romani XX annis minores servos per vindictam manumittebant, vel servi XXX

---

(1) In his Mommsen l.l. 437.

(2) Cf. L 1. 24 D. de manumiss. (XL. 1.)

„Placuit, eum, qui Kal. Ianuariis natus post sextam noctis pridie Kalendas quasi annum vicesimum compleverit, posse manumittere; non enim maiori viginti annis permitti manumittere, sed minorem manumittere vetari; iam autem minor non est, qui diem supremum agit anni vicesimi."

(3) Gaius. I, 18, 38 sqq. Ulp. Fragm. I, 12 sqq.

annis iuniores manumittebantur haec manumissio legitima dici non poterat, nisi „apud consilium iusta causa manumissionis adprobata" fuisset. Quodsi quaerimus, quale fuerit hoc collegium, veteres hoc diserte testantur.

„Consilium autem", inquit Gaius, (1) „adhibetur in urbe Roma quidem, V senatorum et V equitum Romanorum puberum; in provinciis autem, XX recuperatorum civium Romanorum, idque fit ultimo die conventus, sed Romae certis diebus apud consilium manumittuntur." (2)

§ 6.

DE PRAEFECTIS.

De his agitur tabulae Salpensanae C. XXIIII et XXV.

Plura fuisse praefectorum genera, qui diversis de causis creabantur, inter omnes constat. (3)

Sed haec, de quibus iam agendum est Capita, duo tantum designant praefectorum genera, nimirum prae-

(1) I, 20.

(2) Ulp. Fragm. I, 13.

(3) Cf. Becker-Marquardt, Handb. der röm. alterth. III, 356 sqq.

fectum illum, qui imperatoris loco creabatur, eumque praefectum qui a IIviro in suum absentis locum substituebatur.

De praefecto, qui ipsius imperatoris locum occupat, C. XXIIII haec occurrunt:

„Si municipi Salpensae decuriones conscriptive municipesve imperatori Caesari Domitiano Augusto patri patriae IIviratum communi nomine municipum eius municipi detulerint, imperatorque Domitianus eum IIviratum receperit et loco suo praefectum quem esse iusserit, is praefectus eo iure esto, quo esset, si eum IIvirum iure dicundo ex hac lege solum creari oportuisset, isque ex hac lege solus IIvir iure dicundo creatus esset."

Imperatorem, quemadmodum in omni alia civitate, ita hîc quoque ad summos honores vocari posse, non est quod miremur. Ipse tamen imperator fungi hoc munere non potest, quapropter alterum in suum locum sufficit praefecti nomine.

Certa aetas, qua esse talem praefectum oportebat, in hac Tabula non commemoratur. Prouti duo erant IIviri, ita, quando imperator ipse IIvir creabatur, solus ille eo munere fungebatur. Hinc in hac causa de uno tantum praefecto sermo est.

Hunc praefectum eadem iura habuisse, atque IIvirum, manifestum est ex hoc Capite. Ius, de quo hîc

sermo est, spectare videtur civitatem Romanam a praefecto cum universa familia impetrandam, si praefectus per annum integrum munere suo functus est, quemadmodum C. XXI vidimus.

Supra commemoravimus, Clar. Laboulaye contendisse, has leges municipales spurias esse. Quare iam animadvertere nobis liceat, eum attulisse verba *solum creari* et *solus duumvir*, quae verba mira essent, cum semper duo IIviri adessent. Clar. Giraud vero verba illa recte interpretatus est. (1) Hoc enim negligere nos non oportet ipsa lege significari imperatorem solum, i. e. sine collega, per praefectum IIviratu fungi.

De praefecto, qui a IIviro relinquitur vicarius, imprimisque de iure, quod ei competit, C. XXV haec traduntur.

Alter IIvirorum diutius quam per unum diem e municipio abfuturus est. Ob eam causam IIvir praefectum relinquit aliquem e decurionibus municipii Salpensae.

---

(1) Vid. Giraud l.l. 49:

„Voilà qui est exactement juste en principe, et parfaitement spirituel, quoiqu' on put vous répondre qu' à Rome on nommait souvent un seul consul et qu'il devait en être ainsi dans les municipes."

Ut hic decurio praefecti munere fungi possit, haec requiruntur:

Ne sit XXXV annis minor.

Ut iusiurandum praestet, se facturum ea, quae IIvirum interim facere debuisset, ea scilicet quae ex usu sunt municipii, nec volentem scientem contra facturum.

Huic praefecto eadem iura competunt quae IIviro, praeter quam quod non alium sibi substituere potest neque diutius quam singulis diebus ex municipio abesse, neque munere defunctus civitatem Romanam consequitur; diserte enim dicitur:

„In omnibus rebus id ius eaque potestas esto praeterquam de praefecto relinquendo et de civitate Romana consequenda, quod ius quaeque potestas hac lege IIviris qui iure dicundo praeerunt, datur."

In praefectis a Duumviris sibi suffectis duo sunt distinguenda, utrum uterque IIvirûm adsit, sed alter impediatur quominus munere suo fungatur, an alter IIvirûm desideretur, i. e. utrum adsit quidem in municipio uterque IIvir, sed alteruter munus suum obire nequeat, an vero propter hanc illamve causam unus tantum adsit duumvir in municipio.

De secunda quaestione silent prorsus Inscriptiones, quatenus ad nostram pervenerunt notitiam; sed dubio caret haud defuisse de hac re constitutiones. For-

tasse in municipiis agi solebat convenienter legi Petroniae, quae sub finem reipublicae vel sub Augusto vigebat.

De prima vero quaestione hoc Caput ea continet, quae multa nobis de municipiorum praefectis cognoscenda praebeant.

Et hic quidem praefectus, ut valde similis praefecti urbi Romae, ita nonnullis in partibus ab eo differt.

Praefectus enim ex hac lege creatus XXXV annos natus esse debet atque ex decurionum collegio; quae instituta in antiquo iure non invenimus. Saepe enim is fiebat praef. urbi feriarum Latinarum causa, qui nec valde adulta aetate erat neque ordine senatorio. (1)

Iam vidimus, praefectum a IIviro relictum, nec civitatem Romanam hoc nomine adipisci potuisse, nec sibi ipsi praefectum substituere. Hoc iure eum caruisse cum regula iuris convenit, quam in Digestis (2) reperimus: „More maiorum ita comparatum est, ut is demum iurisdictionem mandare possit, qui eam suo iure non alieno beneficio haberet."

---

(1) Becker, II, 2, 149, 150.

(2) L. 5 D. de iurisdict. (II. 1). L. 5 pr. D. de officio eius, cui mand. (I. 21). „Mandatam sibi iurisdictionem mandari alteri non posse manifestum est."

Neque is praefectus civitatem Romanam consequebatur, quamvis e decurionibus conscriptisque electus esset. Hîc vero nonne sunt quae inter se pugnent? nonne is, qui praefectus erat creatus, iam compos erat civitatis Romanae, ex decurionibus quippe electus, qui si civitate Romana carebant, propter honores, quibus functi fuerant, cives Romani facti erant?

Minime vero: sunt enim decuriones, qui, quemadmodum Romae senatores pedarii, nullo munere fuerant functi.

Praeter cetera igitur, ex hoc capite cognovimus duplex Duumvirorum genus, quod Salpensae, fortasse alibi quoque fuit, alterum Romanae civitatis particeps, alterum eo iure carens.

§ 7.

DE DUUMVIRIS, AEDILIBUS ET QUAESTORIBUS.

Iam dicendum nobis est de municipiorum magistratibus, quatenus in his legibus municipalibus de iis sermo est.

Etenim tabula Salpensana C. XXVI et XXVII non de omnibus agit, quae ad duumviros, aediles et quaestores pertinent, sed de iureiurando tantum et de intercessione.

Capite XXVI legimus de iureiurando: duumviros, aediles et quaestores, qui ipso legis promulgatae die Salpensae adsunt, in diebus quinque proximis iurare debere, ut etiam ii, qui postea iam ad eos magistratus, de quibus hîc sermo est, obeundos vocabuntur, intra quintum diem, postquam magistratum capessunt et antequam decurionum concilium convocetur (*consilium habeatur*), iurare debent.

Pluribus huius Tabulae locis iurisiurandi fit mentio. Ut in his Titulis, ita iam reipublicae temporibus saepe in iureiurando Iupiter et Penates coniunguntur. Sic Cicero. (1) „Itaque," inquit, „nisi ineptum putarem in tali disputatione id facere, quod, quum de republica disceptatur fieri interdum solet, iurarem per Iovem deosque Penates me et ardere studio veri reperiendi, et ea sentire, quae dicerem."

Iurare per genium Caesaris, ut fit in hoc Capite, in Digestis quoque occurrit. (2) „Si quis, ait Ulpianus, iuraverit in re pecuniaria per genium Principis, dare se non oportere, et peieraverit, vel, dari sibi oportere, vel intra certum tempus iuraverit se soluturum, nec solvit, Imperator noster cum patre

---

(1) Acad. II, 20 § 65. Mommsen l. l. 460 D. Eidesformel zu S. 25. 26. M. 59.

(2) L. 13 § 6 D. de iureiur. (XII. 2).

rescripsit, fustibus eum castigatum dimitti et ita ei superdici: *προπετῶς μὴ ὄμνυε* (temere ne iura)."

Hoc Capite praescribitur iusiurandum per Iovem et per imperatores mortuos, per eos scilicet imperatores, quorum memoria non erat damnata; tum etiam per genium Imperatoris Domitiani deosque Penates.

Iurabant autem hi magistratus:

1°. Se omnia facturos, quae essent secundum hanc legem et ex re communi municipum municipii Salpensani.

2°. Se nihil contra hanc legem dolo malo facturos.

3°. Se quemque contra haec agentem prohibere conaturos.

4°. Se (scil. Duumvirum) neque aliter consilium habiturum neque aliter daturum neque sententiam dicturum, quam ut ex hac lege exque re communi municipum eius municipii fore censeret.

Et quo maiorem vim haberet hoc iusiurandum, illi duumviri, aediles et quaestores iurare debebant pro contione, i. e. publice, ut perspicue apparet ex his C. LIX aeris Malacitani verbis: „iuranto pro contione palam."

Quodsi iurare negarent, multam solvere debebant sestertium X milium. „Qui ita non iuraverit, is sestertium X milia..... dare damnas esto." Et ad accusandum eum, qui iurare negaverat, ex hoc Capite

quivis admittebatur: „deque ea pecunia municipum eius municipi qui volet cuique per hanc legem licebit, actio petitio persecutio esto."

Haec multa sane gravis erat, sed nihil miramur, ibi graviter animadversum esse, ubi et iustitia et salus municipii agebatur.

Si quaeritur, utrum etiam ille, qui non intra quinque dies iuraverat multaretur, dolemus, has Inscriptiones de eius tantum multa loqui qui omnino non iuraverat.

Iurisiurandi prima pars perspicua est. Difficiliora aliquanto sunt verba: *neque se aliter consilium habiturum neque aliter daturum.* Multis certe modis ea sunt explicita; quid, quod Clar. Laboulaye e verbis *consilium* et *habiturum*, valde quippe dubiis, concludere studuit spurias esse has Inscriptiones. Sed Clar. Giraud ostendit, (1) verba illa non esse interpretatu difficillima, eadem enim saepius inveniri apud veteres, etiam apud Ciceronem. (2) De diversis illis interpretationibus enucleatius agere non est huius loci, neque ea repetere necesse est, quae Vir Clar. praeclare demonstravit.

---

(1) l. l. pag. 61 sqq.

(2) Cff. Cic. de rep. II, 7, 15. Liv. XXX, 40, 21. XXXI, 47. XXXIII, 22. XXXVIII, 44. XLI, 6.

Fatemur interim, hoc certe loco difficile esse verbo *consilium* aliam vim tribuere, quam eam, qua *curiam* municipii Salpensani significat.

Verba *consilium habiturum* hîc referenda sunt ad eum, qui curiam municipii habet, h. e. cui secundum civitatis constitutionem ius est curiam sive decuriones convocare.

Consilium daturum hîc verbotenus significat curiam dare pertinetque ad eum, qui rogatu alicuius, cui ius non est curiam convocandi, decuriones convocat, si hoc ei videtur.

Docet autem hoc Caput, IIviros, aediles et quaestores inter cetera iurare: *se neque aliter consilium habiturum neque daturum.* Hoc vero pugnare videtur cum omnibus iis, quae prius aliunde cognoveramus de iure decuriones convocandi.

Veteres enim scriptores soli IIviro hoc ius esse testantur. Quin etiam Cap. LXVIII tab. Malacit. idem docet, ubi legimus:

„Cum ita rationes reddentur, IIvir, qui decuriones conscriptosve habebit" rel.

Num igitur hae Inscriptiones non solum secum, verum etiam cum testimoniis antiquorum scriptorum fide dignissimorum, pugnant? Non puto. Et hoc Caput verba allata ad IIvirum tantum referri vult, quamquam obiter hoc Caput legens, ad hoc ius (decu-

riones convocandi) unicuique trium illorum magistratuum tribuendum inclinas. Sed admissa videtur in Capitis descriptione negligentia aliqua. (1)

Porro ex iis, quae allata sunt, apparuit, ad accusandum eum, qui ita non iuraverit, quemvis admitti.

Itaque de actione populari sermo est. Eiusmodi actiones populares in his Tabulis quinquies (2) commemorantur; de quibus suo deinceps loco erit videndum.

Quod ad multam attinet, haec non semper eadem est, per se enim delicti, quod commissum est, gravitate regitur.

Ipsa autem ad quem in actione populari perveniebat, utrum ad civitatem, cuius causa aliquis accusatus erat, an vero ad ipsum accusatorem?

Huius quaestionis explicatio cum a nostro nos argumento longius abduceret, indicasse sufficiat, praeterquam ex hoc Capite, in quo est: „qui ita non iuraverit, is sestertium X milia municipibus eius municipi dare damnas esto", etiam e Digestis manifestum esse, ad quem multa perveniret. Legimus enim: „eam

(1) De hac quaestione aliam sententiam amplectitur Clar. Giraud, l.l. 62. Vid. etiam Marezoll, Fragm. Leg. rom. in aversa tab. Heracl. parte. Götting. 1816. pag. 63 et 148. Dirksen, Observationes ad tab. Heracl. partem alteram. Berlin, 1817. pag 157—164.

(2) S. c. XXVI. M. c. LVIII. LXI. LXII. LXVII.

popularem actionem dicimus, quae suum ius populi tuetur". (1) et alio loco: (2)

„Item qui habet has actiones, non intelligitur esse locupletior."

Quid sit actio popularis item e Pandectis discimus legentes: „In popularibus actionibus, ubi quis quasi unus ex populo agit, defensionem ut procurator praestare cogendus non est." (3)

Accedimus iam ad secundam huius paragraphi partem, i. e. ad intercessionem, de quo argumento agitur C. XXVII, inque eo nonnulla occurrunt tum de intercessione tum de appellatione.

Vocabula „appellatio" et „appellare" significare: magistratum in auxilium vocare, ut hic iniuriam inferendam repellat satis notum est. Ab illis differt „provocatio," h. e. cum populus, tamquam summus iudex in auxilium vocatur, ut iniustum iudicium quis effugiat.

Haec duo iura libera republica diligenter discernebantur. (4) Imperatorum vero aetate utroque verbo usi sunt Romani ad significandum eum, qui maio-

---

(1) L. 1 D. de act. pop. (XLVII. 23).
(2) L. 7 § 1 D. h. t.
(3) L. 43 § 2 D. de proc. (III. 2).
(4) Liv. III. 56. VIII. 33. XXXVII. 51.

ris magistratus auxilium invocat; provocatio enim ad populum in ipsum transierat Imperatorem, cuius nunc erat priorum magistratuum *veto*.

Appellari liberae reipublicae temporibus omnes poterant magistratus, si potestate pares aut si maiores dignitate illo erant, adversus quem invocabantur. (1) Itaque consul adversus consulem ceterosque magistratus omnes, praetor adversus praetorem et reliquos magistratus omnes praeter consulem, tribuni vero adversus omnes omnino magistratus appellabantur.

Iam Caput XXVII nos docet, IIviros inter se cuivis facto, quod munere suo continebatur, ita intercedere potuisse ut effectu careret.

Haec apte cohaerent cum regula illa iuris publici Romani, ex qua factum aliquod ratum habetur, „ni par maiorve potestas prohibescit." (2)

Deinde hoc Caput tres modos indicat, quibus ius intercedendi circumscribitur: intercessio in eadem causa adversus eundem magistratum semel tantum

---

(1) Cic. de Legg. III. 4: „par maiorve potestas plus valeto."

(2) Cic. l. l. III. 3: „Iusta imperia sunto; iisque cives modeste ac sine recusatione parento. Magistratus nec obedientem et noctium civem mulcta, vinculis, verberibus ne coërceto, ni par maiorve potestas populusve prohibescit, ad quos provocatio esto." L. 1 § 1 D. ex quib. caus. maior. (IV. 6). L. 58 D. de iudic. (V. 1). Mommsen, Röm. Gesch. I. 175. 177.

locum habere potest („dum ne amplius quam semel quisque eorum in eadem re appelletur.”); intercessio fieri debet intra tertium diem: „In triduo proximo quam appellatio facta erit poteritque intercedi;” intercessio in nonnullis causis prohibetur.

Quae de intercessione huc usque diximus, magnam partem ad IIviros pertinent. Reliqui vero magistratus, aediles et quaestores, habent quoque ius intercedendi.

Uterque aedilis inter se intercedere poterant, IIviri vero factis intercedere non poterant, quippe qui esset summus in municipiis magistratus.

Quaestoribus idem ius erat intercedendi. Duumviri tamen vel aedilis factis intercedere non potest.

Animadvertendum praeterea, omnia ea, quibus IIvirorum ius intercedendi circumscriptum fuisse notavimus, in aediles quoque et quaestores valere.

CAPUT III.

Tabula Malacitana.

Tabulae Salpensanae argumentorum pondere et momento minime cedit Malacitana; multa quippe tum ex iure publico tum ex iure privato continens animadversione perdigna.

§ 1.

DE NOMINATIONE CANDIDATORUM ET DE COMITIIS HABENDIS.

Notum est eo tempore, quo leges municipales utrique municipio datae sunt, populum Romanum nullam amplius habuisse auctoritatem. Imperatores enim ipsi omnia administrabant, deliberabant quidem de rebus

gravioribus cum senatu, vel potius cum consilio suo, primum e Senatoribus mox vero ex aliis quoque sociis lecto, sed ea, quae ibi volente Imperatore probata erant, nullam in Senatu provocabant sententiarum discrepantiam; hic enim prorsus ex Imperatoris voluntate pendebat, adeo ut, quae ipse commendaverat, numquam non rata essent.

Quamobrem miramur, ex tabula Malacitana apparere, Malacam tempore Domitiani adhuc fuisse municipium, in quo populus magna frueretur potestate; occurrit enim populus in illo municipio liber, non pendens ex Imperatoris aut ex municipii Malacitani magistratuum voluntate.

Contra Domitianus in legibus municipalibus omnia sic ordinavit, ut recte comparari possint cum iis, quae Romae liberae reipublicae tempore valebant. Quid igitur? An municipes tempore Imperatorum maiora habuerunt iura et maioribus fruiti sunt emolumentis quam ipsi Romani? Veteres hac de re silent. In hac igitur quaestione aliquid statuere, quod certis nitatur argumentis, difficillimum est. Fortasse Hispania aliquando iuribus nonnullis usa est, quibus ceterae imperii partes caruerunt. (1)

---

(1) Zumpt, Comm. Epigr. I, 61. Becker-Marquardt, Handb. III, 1. 349.

Sed veniamus in rem praesentem.

A nominatione candidatorum et a comitiis habendis ordiuntur fragmenta tabulae Malacitanae. Et primo quidem Capiti, quod aetatem tulit, i. e. LI, idem evenit, quod supra de primo alterius Tabulae Capite superstite sive XXI animadvertimus, ut eius initio aliquid deesset.

Incipit enim a verbis „fieri oportebit."

His autem quae Mommsenus ex coniectura praemisit *si ad quem diem professio*, nihil habent quod a probabilitate sit alienum.

Sermo in hoc Capite est de iis, qui aliquem petebant magistratum. Si candidati vellent, ut sui ratio haberetur, profiteri debebant nomina certo tempore ante comitia apud eum, qui comitia habiturus erat, qui eos aut ad petitionem muneris admittebat aut eorum nomina non recipiebat.

Iam vero res ita proponitur, ut, ad quem diem professio fieri debet, aut nulli candidati professi sint se petere, aut pauciores, quam creari oporteat, aut denique ut numerus candidatorum sufficiat quidem, pauciores tamen sint, quorum ratio haberi queat. In his igitur omnibus causis non sufficit candidatorum numerus ad omnia munera explenda.

Quid hac in re constitutum est?

„Is qui comitia habere debebit proscribito ita ut

de plano (1) recte legi possint tot nomina eorum, quibus per hanc legem eum honorem petere licebit, quod derunt ad eum numerum, ad quem creari ex hac lege oportebit."

Quodsi ii, qui a praeside comitiorum candidati sunt propositi, malunt non ambire, huic quoque rei prospectum est:

„Qui ita proscripti erunt, ii, si volent, aput eum, qui ea comitia habiturus erit, singuli singulos eiiusdem condicionis nominato."

Quodsi hi quoque malunt non creari, haec ratio praescribitur:

„Ique item, qui tum ab is nominati erunt, si volent singuli singulos apud eundem eademque condicione nominato."

Sic facta candidatorum nominatione, is, sicut in fine Capitis legimus, „aput quem ea nominatio facta erit, eorum omnium nomina proponito ita ut de plano recte legi possint, deque îs omnibus item comitia habeto, perinde ae si eorum quoque nomine ex hac lege de petendo honore professio facta esset intra

(1) Nomina igitur Candidatorum praeses comitiorum ita scribere debet, ut unusquisque illa nomina facile legere possit. Haec autem verba „de plano" saepius apud scriptores antiquos varia occurrunt significatione. Cf. Torrent. ad Suet. Tib. 33.

praestitutum diem petereque eum honorem sua sponte coepissent neque eo proposito destitissent."

Haec de candidatorum nominatione, quibus addimus ea, quae C. LII de magistratibus dicuntur, quos comitia habere oportet.

Ex duumviris, qui nunc sunt (scil. legum promulgationis tempore) aut ex iis, qui deinceps in municipio Malaca IIviri erunt, *natu maior*, comitiis praeesse debet, quae habentur IIviris, aedilibus, quaestoribus rogandis subrogandis.

Si autem ei causa quae inciderit quo minus comitia habere possit, tum alter ex his ea comitia habeto.

Ex capite citato etiam apparet: duumvirum, qui his comitiis praeest, curare oportere, ut ea distributione („de qua supra comprehensum est") suffragia ferantur et quidem per tabellam.

„Quique ita creati erunt, ii annum *unum*, aut, si in alterius locum creati erunt, reliqua parte eiius anni in eo honore sunto, quem suffragîs erunt consecuti."

Ex postrema igitur C. LII parte intelligitur, etiam ei, qui ad munus in alterius locum per partem tantum anni gerendum crearetur, comitia fuisse habita.

Desiderantur autem in his aeris Malacitani fragmentis ea, quae de ipsa professione et de distributione curiarum constituta fuerant. Fuisse autem caput de

distributione illa, satis demonstrant verba: „utique ea distributione curiarum, de qua supra comprehensum est."

Quod vero ex C. LII cognovimus de comitiorum praeside, id partim simile est partim dissimile eorum, quae Romae hac in causa obtinuerant. Uti enim IIvir tam in ipsis IIviris quam in aedilibus et quaestoribus creandis comitia habebat, ita Romae comitiis consularibus, aedilitiis et quaestoriis praeerat consul. Sed quemadmodum Romae consules sorte (1) definiebant, uter eorum praeesset, ita Malacae hoc pendebat ex aetate IIvirorum, quorum natu minori tum demum comitia habere licebat, si collegae natu maiori aliquod obstaret impedimentum.

Tria (ut ex his Inscriptionibus apparet) in magistratibus creandis sunt observanda: Candidatorum professio, suffragii latio, proclamatio eorum qui creati sunt.

Iam animadvertimus, magistratum, qui comitia haberet, curare oportere, ut priusquam ad creandos magistratus transiret, tot idonei (2) candidati adessent, quot honores vacabant. (3)

---

(1) Liv. XLI. 18.

(2) „Quorum hac lege comitiis rationem habere oporteat." M. c. LIV. Liv. XXII, 35. Becker, l.l. II, 2, 38.

(3) „Tot, quot creari oportebit", legitur in C. LI.

Ad candidatorum numerum explendum haec duo conducebant: *professio*, ubi quis sponte sua nomen edit, et *nominatio*, ubi ab altero quis candidatus proponitur.

Quae ad ipsam professionem pertinent, i. e. ad ea, quae in professione facienda erant, haec cum perierint, gaudemus aliunde constare, eam rite, i. e. secundum certa quaedam instituta, fieri debere. Candidati qui iam professi erant, ante suffragii lationem desistere de proposito poterant.

Ut Romae, ita in municipiis quoque certum fuisse diem, intra quem profiteri debebant se petere, nomina etiam candidatorum pronunciari deberi, sponte intelligitur. Romae intra trinundinum i. e. ante diem decimum septimum quam suffragia ferrentur, profitendum erat. (1)

Magistratui etiam inquirere licuisse, utrum is qui profitebatur se petere, idoneus esset, essetve causa aliqua, propter quam quis a petitione excluderetur, ipsa res demonstrat.

Plura hoc capite docemur de nominatione candidatorum, qua praeses comitiorum tot idoneis candidatis propositis, quot munera vacant, eorum nomina proscribit.

Is qui ita propositus est, ius habet praesidi alterum

---

(1) „Intra praestitutum diem," legitur in Capite.

sui loco candidatum proponendi; idem illi ius est qui ab altero est nominatus. Ulterius tamen hoc ius nominandi non extenditur. (1)

§ 2.

DE INCOLARUM SUFFRAGIA FERENDI IURE ET DE IIS, QUI MAGISTRATUS CREARI POSSUNT.

De his rebus praecipitur in C. LIII et LIV tab. Malacitanae.

Quamquam fortasse mirum videtur, cum nondum dictum sit de universa suffragiorum in comitiis municipalibus ferendorum ratione, iam agi de modo, quo *incolae* illa ferrent, tamen animadvertendum nobis est, incolas, licet quodammodo a ceteris municipii civibus diversos, nihilominus ius suffragii habuisse, ideoque opus fuisse ut modus, quo ferrent suffragia, separatim praescriberetur. Cur autem legislator ab incolarum suffragio constituendo exorsus sit, quis definiat?

Praecipit igitur C. LIII, ut is, qui comitiis magistratuum (Duumvirorum, aedilium, quaestorum)

---

(1) Cf. E. Kuhn, Die städt. und bürgerl. Verfass. des Röm. Reichs. Leipzig, 1864.

creandorum praeest, ex omnibus curiis *unam* sorte ducat, in qua *incolae* Malacae, qui nempe cives Romani Latinive cives sunt, suffragia ferre possint.

Malaca fuit urbs mercatura florens et multis mercandi causa advenis celebris. Quotquot in urbis ditione non erant nati atque aliunde eo venerant *incolae* censebantur.

Caput LIII ponderis aliquantum habet, quia, ut antea idem discrimen in municipibus et in decurionibus cognovimus, ita hîc differunt inter se incolae, ut sint *cives Romani* vel *Latini*, quibus quidem licebat in una curia suffragia ferre ad magistratus creandos municipii Malacitani.

Non omnes autem, qui honorem aliquem petebant, ad professionem admitti potuisse manifestum est. Fieri enim poterat, ut essent candidati, qui gravem aliquam poenam subiissent vel aliter capite quodammodo essent deminuti.

Quae praescripta fuerint de excludendis nonnullorum nominibus passim iam indicavimus.

Verum C. quoque LIV de hac re nonnulla constituit. Inde enim accipimus, praesidem comitiorum curare debere, ut primum crearentur Duumviri, neque alii ad hunc magistratum admitterentur, nisi „ex eo genere *ingenuorum* hominum, de quo hac lege cautum comprehensumque est; deinde proximo quoque

tempore aediles item quaestores (qui etiam ingenui esse debent) creandos curato."

Videmus quoque ex hoc Capite, praesidi non licuisse eum in candidatorum numerum recipere, qui nondum XXV annos natus esset.

Haec legis sanctio, qua aetas definitur, a prioribus reipublicae Romanae saeculis aliena est. Postea autem aetas diserte definita fuit, eaque tam Romae quam in municipiis spectari solebat.

Itaque lex municipalis a magistratibus excludit eum, qui nondum XXV annos natus est. Hadrianus vero imperator hanc rem nonnihil immutavit: constituit enim: „quantum ad municipalia eum annum, quem quis ingressus est, pro *impleto* numerari." (1)

Praeterea ex hoc Capite videmus, eos non potuisse IIviros creari: „qui *intra quinquennium* in eo honore fuerunt."

In fine huius Capitis alia etiam reperitur sanctio, quam equidem non minus ad IIviros quam ad aediles quaestoresque pertinuisse existimo. Ibi enim legimus eorum neminem ad honorem quendam admitti „qui in earum qua causa erit propter quam si civis Romanus esset, in numero decurionum conscriptorumve eum esse non liceret."

---

(1) L. 74 § 1 D. ad Sct. Trebell. (XXXVI. 1.)

De intervallo denique V annorum, quod inter primum et alterum duumviratum interesse oportebat, Romae quoque simile quid institutum esse accepimus, quamquam ibi X annorum intervallum commemoratur. (1)

De intervallo inter aedilitatem et quaesturam iterum gerendam nulla fit in hoc Capite mentio. Utum hac de re Malacae aliquid fuerit sancitum, statuere non ausimus.

Animadvertimus tantum, raro aliquem iterum hos honores petivisse; his enim muneribus non tam propter honorem et commoda homines in municipiis fungebantur, quam ut ad duumviratum pateret aditus. Quodsi quis semel ad summum magistratum pervenisset, non mirum, eum hoc munere iterum fungi voluisse.

§ 3.

DE SUFFRAGIO FERENDO ATQUE DE HIS, QUI SUFFRAGIORUM NUMERO PARES ERUNT.

Exposita tum candidatorum nomina in tabulam con-

---

(1) Liv. VII, 42. XXIII, 24. 30. Becker, l. l. II, 2, 29. sqq.: »Erst im J. 412, soll ein Plebiscit erfollgt sein, dass die doppelte Bestimmung enthielt: es solle niemand früher als nach 10 Jahren dasselbe Amt verwalten, noch zwei Aemter zu gleicher zeit."

ferendi et proscribendi tum comitia habendi ratione, pergimus ad haec. Cap. LV et LVI argumenta.

Et in priore quidem C. haec occurrunt:

„Qui comitia ex hac lege habebit, is municipes curiatim ad suffragium ferendum vocato ita, ut *uno vocatu* omnes curias in suffragium vocet, eaeque singulae in singulis consaeptis suffragium per tabellam ferant. Itemque curato, ut ad cistam cuiiusque curiae ex municipibus eiius municipi *terni* sint, qui eiius curiae non sint (i. e. qui non pertinent ad illam curiam) qui suffragia custodiant, diribeant."

Priusquam vero terni illi municipes munus hocce in se suscipiant, praeses comitiorum iureiurando eorum quemque adigere debet: se rationem suffragiorum fide bona habiturum relaturumque.

Docemur item hoc Capite, ipsis quoque candidatis ius fuisse custodes ad cistas ponendi; legimus enim:

„Neve prohibite quo minus et qui honorem petent singulos custodes ad singulas cistas ponant."

Quodsi quaerimus, quemadmodum qui singularum curiarum cistis appositi erant, ipsi suum suffragium essent laturi, legislator respondet in fine huius Capitis:

„Iique custodes ab eo qui comitia habebit, item ab his positi qui honorem petent, in ea curia quisque eorum suffragium ferto, ad cuiius curiae cistam custos

positus erit, eorumque suffragia perinde iusta rataque sunto ac si in sua quisque curia suffragium tulisset."

Sic de custodibus illis constitutum esse ne miremur: quanta enim fuisset turba, si municipes illi ad singulas curiarum cistas appositi, in suis singuli curiis suffragia tulissent! Quod autem gravius, exigua tum custodum fuisset utilitas, quippe qui interea, dum abessent, fraudem in suffragiis ferendis antevertere nequissent.

Totum Caput procul dubio ad exemplum compositum est eorum, quae Romae in eadem re fieri solebant. Nam ibi quoque curias invenimus et diribitores et custodes.

Constat, divisionem populi Romani in centurias et tribus τοπικὰς posterioris aetatis fuisse quam divisionem in curias; haec enim iam ab urbe condita fuit. Dignum igitur est quod animadvertatur, fuisse curias in his municipiis, quae ipsa quoque in curias erant divisa, secundum quam distributionem in eorum comitiis suffragium ferebatur.

Postquam enim curia, ut in C. LIII vidimus, in qua ab incolis „qui cives Romani Latinive cives erunt" suffragia erant ferenda, sorte definita fuit, praeses comitiorum cunctas curias convocabat ad suffragium ferendum, et quidem una omnes. Etenim in

hac lege sancitur: *uno* (1) *vocatu omnes curias in suffragium vocet.* Deinde ubi convenerunt singulae, singillatim suffragium ferunt intra locum sepositum, qui consaepta vocabatur.

Ut Romae, ita hîc quoque consaepta sunt. Postquam enim per leges tabellarias tesserae sunt introductae, in ovili suffragia ferebantur. Postea tamen locus, ubi suffragia ferebantur, saeptis conclusus est, unde in posterum locus saepta vel etiam consaepta dicta sunt.

Tabellae, ut ex hoc Capite apparet, in cistam coniiciebantur, quae cista in singulis cuiusque curiae saeptis erat.

De tribus quoque municipibus diribitoribus (2) locuti sumus. Et Romae eosdem invenimus. Diribitores enim erant qui tabellas populo tribuebant et suffragia, quae candidatorum quisque habebat numerabant.

Iam ad C. LVI accedentes, discimus, praesidem comitiorum in singulis curiis eum ceteris priorem renuntiare debere in quem plurima cuiusque curiae suffragia collata essent, itaque deinceps ceterorum ratione agere eum oportere donec numerus, ad quem creari oporteret, expletus esset.

---

(1) Cf. Dion. Halic. VII, 59: μιᾷ κλήσει κατὰ φυλάς. Becker-Marquardt, l.l. II, 3, 132 sqq.

(2) Liv. XXVI, 22.

Sed quid si in curia quadam duo pluresve eundem suffragiorum numerum tulerant? Huic quaestioni in lege sic satisfieri animadvertimus, ut iubeatur praeses maritum quive maritorum numero sit praeferre caelibi liberos non habenti, qui maritorum numero non sit; habentem liberos non habenti; plures liberos habentem pauciores habenti prioremque nunciare ita ut bini liberi post nomen inpositum aut singuli puberes amissi, virivepotentes amissae pro singulis sospitibus numerentur.

Cum vero ii, qui parem suffragiorum numerum habent, eiusdem plane condicionis sunt, tum „nomina eorum in sortem coicito, et uti cuiiusque nomen sorte ductum erit, ita eum priorem alîs renunciato."

Ex hoc igitur Capite apparet, postquam diribitores suffragia enumerarunt, eventumque suffragii cum praeside communicarunt, hunc tum in ea inquirere, ut certa sint, deinde eos ex candidatis magistratus renunciare, qui plurima (1) suffragia habuerunt, vel si paria habuerunt, eos renuntiare creatos, qui ex lege praeferuntur, ratione semper habita numeri magistratuum, quo opus est municipio.

Eodem modo Romae in comitiis suffragium latum

(1) „Uti quisque curiae cuiius plura quam alii suffragia habuerit", legitur in C. LVI.

fuisse in dubium quidem vocari nequit, inter multa tamen veterum de hac re testimonia nullum est quod de suffragii latione tam fuse et accurate agit quam C. LVI tab. Malac.

Ceterum nonnulla nobis animadvertenda supersunt. Quod enim in pari suffragiorum numero is etiam candidatus caelibi praefertur, *qui maritorum numero erit*, hoc ipsum quaeritur ad quos pertineat. Videtur partinere ad eum qui antea quidem uxorem habuit, nunc autem est viduus. Sed ad omnes viduos haec verba non pertinent: illi soli mariti habentur, qui demum post sexagesimum aetatis annum vidui facti sunt.

Apud Ulpianum enim legimus:

„Si lege Papia finitos annos in matrimonio excesserint, id est vir LX annos, uxor L." (1)

Tum ratio nos advertit liberorum amissorum hac in causa habita: ex his bini post nomen impositum i. e. post diem octavum vel nonum amissi, singuli vero puberes vel viripotentes vita defuncti singulis aequiparantur sospitibus. Haec omnia ne mireris, tenendum omnino municipiorum constitutiones ad exemplum reipublicae Romanae factas esse; multa igitur ab Urbe in ipsa municipia fuisse translata. Atqui scimus, ubi in Iure Romano de legis beneficiis

(1) Fragm. XVI, I.

in aliquem conferendis agitur, ibi quaeri an uxorem ipse et liberos habeat.

Ne de ceteris institutis dicam, indicasse sufficiat, iis fuisse iustam tutelae vel curae excusationem, qui tres habebant liberos, si Romae habitabant, et quatuor si in Italia, in provinciis autem si quinque. (1)

Itaque novimus, lege Iulia et Papia Poppaea constitutum esse: „aliquando virum et uxorem inter se solidum capere posse . . . . . aut si filium filiamve communem habeant, aut quattuordecim annorum filium vel filiam duodecim amiserint: vel si duos trimos, vel tres post nominum diem amiserint."

Ex Romanorum moribus haec sponte intelliguntur et arcte cohaerent cum studio avocandi a concubinatu, ad quem iam ante Augusti aetatem complures proclives fuisse constat. Unde non tantum ab hoc Imperatore sed etiam multo post instituta sunt ad iustas nuptias promovendas beneficia. Non igitur mirandum est, talia Domitiani aetate reperiri in municipiis.

Cum capitibus, quae modo exposuimus proximum i. e. LVII Caput cohaeret, quo quidem praecipitur, quemadmodum curiarum sortitio fieri debeat et quomodo quis factus creatusque renuncietur.

---

(1) Instit. Iust. XXV pr. Becker, Handb. der röm. Alterth. II, 2, 114.

Scilicet praeses „relatis omnium curiarum tabulis nomina curiarum in sortem coîcito singularumque curiarum nomina *sorte* ducito et ut cuiiusque curiae nomen sorte exierit, quos ea curia fecerit, pronuntiari iubeto; et uti quisque prior maiorem partem numeri curiarum confecerit, eum, cum hac lege iuraverit caveritque de pecunia communi, factum creatumque renuntiato, donec tot magistratus sint quod hac lege creari oportebit.

Si totidem curias duo pluresve habebunt, uti supra conprehensum est de îs qui suffragiorum numero pares essent, ita de îs qui totidem curias habebunt facito, eademque ratione priorem quemque creatum esse renuntiato."

Itaque priusquam ii, qui sunt creati, magistratus renuncientur, praeses comitiorum hos iurare iubet et cavere de pecunia communi.

Sed in haec, ducibus iis, quae iam sequuntur, Capitibus accuratius inquiremus.

§ 4.

DE COMITIIS NON IMPEDIENDIS, DE IUREIURANDO, DEQUE PECUNIAE COMMUNIS CAUTIONE A CANDIDATIS PRAESTANDA.

De iis, quae haec lex statuit in eum, qui facto suo

comitia irrita reddit, C. LVIII agitur, ex quo accipimus nihil quicquam cuiquam facere licuisse, quo comitia Malacae habenda impediri potuissent.

Hîc multam quoque commemoratam videmus, ab eo solvendam, qui sciens et dolo malo aliquid perpetrasset, quo ne comitia haberentur effectum esset. Legimus enim: „Qui aliter adversus ea fecerit sciens dolo malo, is in res singulas sestertium X milia municipibus . . . . . dare damnas esto."

Porro in hac quoque causa cuivis, qui vellet, ius fuit accusandi eum, qui sciens dolo malo comitia impedire conatus esset; sequuntur enim: „eiiusque pecuniae deque ea pecunia municipi eius municipii, qui volet cuique per hanc legem licebit, actio petitio persecutio esto."

Itaque hîc quoque actio popularis significatur.

Multa vero, cuius hîc fit mentio, sane gravis est, imprimis si pecuniae apud Romanos pretium cogitamus; neque tamen illius gravitatem miramur; fieri enim poterat, ut, populo iam convocato, quis subito comitia praepediret. Tum non solum perturbatus erat ordo publicus, sed etiam violata maiestas populi Malacitani.

Sed veniamus ad iusiurandum, quod exigitur ab iis candidatis, qui sunt creati, antequam renuncientur, de quo C. LIX haec praescribit:

„Qui ea comitia habebit, uti quisque eorum, qui

IIviratum aedilitatem quaesturamve petet, maiorem partem numeri curiarum expleverit, priusquam eum factum creatumque renuntiet, iusiurandum adigito — . . . . . eum quae ex hac lege facere oportebit facturum neque adversus hanc legem fecisse aut facturum esse scientem dolo malo."

Iurisiurandi mentio tum alibi nobis in his occurrit Inscriptionibus tum in Tab. Salp. C. XXV.

Differt autem alterum ab altero. Quemadmodum enim in Tab. Salp. iusiurandum affertur magistratuum intra quinque a munere inito dies, et illud multo gravius est, ita hoc, cuius in hac Tab. Mal. parte mentio fit, pertinere vidimus ad candidatos lectos necdum renunciatos, quos igitur, his sollemnibus peractis brevi iterum iurare oportebit. Quodsi candidati illi iurare detrectabant, a praeside comitiorum non renuntiabantur, itaque magistratum non inibant. Ii autem, qui intra quinque dies proximos non iuraverant, multa, uti iam vidimus, puniebantur.

De pecuniae communis cautione, a candidatis praestanda, agitur C. LX, unde constat, eos qui duumviratum petunt vel quaesturam, sive sponte professi sunt, sive ab aliis candidati propositi, ipso die, quo comitia magistratuum creandorum habentur, et quidem antequam suffragium feratur, quemque eorum, arbitratu

quidem praesidis comitiorum (1), praedes dare oportere, qui iis cavent: „pecuniam communem eorum quam in honore suo tractaverit, salvam fore."

Quodsi de pecunia communi a praedibus minus cautum fuerit, candidati est, — idque item arbitratu praesidis comitiorum — praedia cautioni adiungere; ita enim legimus: „si de ea re îs praedibus minus cautum esse videbitur, praedia subsignato arbitratu eiiusdem."

Extrema huius Capitis parte legitur, praesidem comitiorum praedes praediaque accipere debere *sine dolo malo*, ut de pecunia communi conservanda beneque administranda recte cautum sit.

Consequens est, ut comitiorum praesidi eorum rationem habere non liceat, qui aut non cavent, aut: „per quem eorum, de quibus IIvirorum quaestorumve comitiis suffragium ferri oportebit, steterit, quo minus recte caveatur."

---

(1) Gell. N. A. VI, (VII) 19. Cic. in Verr. I, 54, 142: „praedibus et praediis cautum est populo et, si non putes cautum, tu praetor in mea bona quos velis immittes." Plin. Paneg. 64: „Peracta erant solemnia comitiorum — iamque se omnis turba commoverat, cum tu accedis ad consulis sellam, adigendum te praebes in verba principibus ignota, nisi cum iurare cogerent alios — Imperator — stetit ante gremium consulis seditque consul principe ante se stante — quin etiam sedens praeivit iusiurandum et ille iuravit expressit explanavitque verba, quibus caput suum donum suam si sciens fefellisset deorum iram consecraret."

Utriusque aeris Capita, de quibus adhuc egimus, ad duumviros pertinebant et aediles et quaestores, qui Malacae et Salpensae erant: hîc vero de duumviris tantum et de quaestoribus sermo est; scilicet aediles non curabant aerarium, itaque IIviri tantum et quaestores cavere iubentur.

Censum aliquem, qui ad magistratum, perque eum ad decurionatum, consequendum requirebatur, hae leges ignorant, quatenus certe ad nostram pervenerunt notitiam.

Romae, ut constat, erat census senatorius, quem hodie plerique Augusti aetate institutum esse putant. Romae tamen candidati creati in magistratu ineundo cavere de pecunia publica non solebant.

Animadvertamus autem, Romae huius pecuniae copiam longe maiorem fuisse quam in municipiis: quis igitur civis hanc salvam fore fide sua iubere poterat? Quapropter Romae census senatorius universe sufficiebat, quo patrimonii aliqua saltem cautio esset.

Neque praetermittendum, illo tempore inter magistratus Romae et in municipiis multum interfuisse. Romae enim magno semper honori erat ad dignitatem senatoriam et ad magistratus ineundos vocari, his magistratibus fungebantur plerumque viri nobilissimi. In municipiis contra Imperatorum aetate magistratus et decurionatus non honori erat, sed oneri.

Sensim paulatimque molesta illa munera obire nolebant municipes, ita ut tandem Theodosii II aetate liberi illegitimi si ad certum aetatis annnm pervenissent, decuriones crearentur ut ita per oblationem curiae legitimarentur.

Eos igitur plerumque creatos esse in municipiis magistratus, qui nec nobilissimi nec ditissimi erant, vix est quod dicamus. Inde factum quoque, ut cavere deberent: „rem communem municipii salvam fore."

§ 5.

DE PATRONO COOPTANDO ET DE AEDIFICIIS NON DESTRUENDIS.

Progredimur, ipsa Tabula Malacitana duce, ad illa Capita, quae neque inter se nec prioribus Capitibus nexa sunt.

Dicendum enim de C. LXI et LXII, quorum illud primam, hoc alteram huius paragraphi partem denotat.

In nonnullis tamen rebus haec duo Capita conveniunt. Ita in utroque Capite poenae sancitae sunt in eum, qui quod lege iussum est, non fecerit.

Itaque in utroque Capite unusquisque, qui volet, admittitur ad actionem instituendam adversus eum, qui contra sanctiones horum Capitum egerit.

Capite LXI monetur, nemini licere patronum mu-

nicipio Malacitano cooptare vel patrocinium Malacae cuiquam deferre, nisi hoc fiat ex decreto duabus decurionum Malacitanorum partibus praesentibus, et a decurionibus iis, qui iurati per tabellam sententiam tulerunt.

Porro poena, ab eo subeunda, qui in aliquem sua auctoritate patrocinium Malacae detulerit, his affertur verbis:

„Qui aliter adversus ea patronum publice municipibus municipii Flavi Malacitani cooptaverit patrociniumve cui detulerit, is sestertiûm X milia nummum (1) in publicum municipibus municipii Flavi Malacitani dare damnas esto."

Huius Capitis argumentum priusquam exponamus, verbo monere iuvat de patrono et de patrocinio, quod dicitur.

Et mirum quidem non est, in hac Inscriptione agi de patrocinio. Imperatorum enim aetate patrocinium urbium, collegiorum, sodalitatum res erat haud raro obvia.

Liberae autem reipublicae tempore quando urbes

---

(1) Alii legunt hoc loco: „Sestertium XV milia." In ipso aere legitur „is HS. $\overline{X}$ $\overline{N}$," h. e. sestertium X milia nummum. Hanc ob rem nonnulli legendum esse putarunt non N sed V: sestertium X milia V, h. e. sestertium XV milia.

a Romanis devictae vel integrae regiones subactae et Romanae ditioni adiectae erant, hae ipsae fidei se committebant nobilis alicuius et potentis familiae Romanae; cuius quidem opera ipsarum res Romae procurarentur. Sic Marcellos Siciliae, Fabios Allobrogum, alios aliarum urbium regionumve patronos fuisse memoriae proditum est. Prouti autem patronum expeti egregio ducebatur honori, ita ipsi non tantum locis, quae patrocinio tuebantur, verum etiam patriae suae magno usui erant. Cuius rei luculentissimum exemplum est in historia coniurationis Catilinariae, quae ut Ciceroni Consuli accuratissime innotuerit, tribuendum esse constat Q. Fabio Sangae, Allobrogum patrono, quorum huius gentis legati Romae degentes et sollicitati a coniuratis rem omnem, uti cognoverant, aperuerunt (1) Sic patroni fides Romam ab interitu servavit.

Sed ad Tab. Mal. redeamus.

Patronus, qui C. LXI occurrit, ipsius municipii dicitur patronus. De certa causa certove patrono in hoc Capite non fit mentio; constitutiones enim, quae hoc loco inveniuntur, toties in censum veniunt, quoties patroni sunt cooptandi. — Utrum vero Malaca iam eo tempore, quo hae leges scriptae sunt, eiusmodi patronum habuerit, prorsus incertum est. De Malacae

(1) Sall. B. C. 41.

historia pauciora novimus, quam ut certi quid hîc statuas.

Tenendum autem est, omnia illa, quae de patrono dicuntur, non ad quemvis patronum pertinere, sed tantum ad patronum publicum, i. e. patronum omnium municipum municipii Flavii Malacitani.

Multum profecto nostra interesset scire, cuinam ius fuerit patronum cooptandi. Sed Caput universe loquitur, namque legimus: „ne *quis* patronum publice cooptato."

Cuivis licuisse cooptare patronum, statui non potest, maximi enim momenti res erat. Neque curiam patronum cooptasse ex hac lege concludere licet; in qua est indefinitum „quis"; praeterea agitur in ea de decreto decurionum ante patroni cooptationem faciendo.

Verisimile est, quamquam Mommseno nihil dubitanti accedere non audeo, populum universum in comitiis curiatim patronum cooptasse; quae fortasse causa est cur lex tam universe loquitur. (1)

Cooptari saltem publicus patronus non poterat, nisi decretum de ea re factum esset a decurionibus, numero duabus partibus non minore praesentibus.

---

(1) „Hienach, ait ille l.l. pag. 453, kann es wohl keinem Zweifel unterworfen sein, dass es rechtlich die Curienversammlung war, die den Patronat vergab; natürlich auf gehörige Befragung des vorsitzenden Beamten." Vid. Philippi, Rhein. Mus. VIII. (N. F.) 511.

Ultima denique verba:

„Is qui adversus hanc legem patronus cooptatus cuive patrocinium delatum erit, ne magis ob eam rem patronus municipum municipii Flavi Malacitani esto," declarant, eum, qui adversus legem a quovis patrocinium accepisset, non magis patronum censeri, quam prius fuerat.

Argumentum C. LXII, quod de aedificiis agit in municipio Malacitano, hoc est:

„Ne quis in oppido municipii Flavi Malacitani quaeque ei oppido continentia aedificia erunt, aedificium detegito destruito demoliendumve curato nisi decurionum conscriptorumve sententia, cum *maior pars* eorum adfuerit, *quod restituturus intra proximum annum non erit.* Qui adversus ea fecerit, is quanti ea res erit, tantam pecuniam municipibus municipi Flavi Malacitani dare damnas esto, eiusque pecuniae deque ea pecunia municipi eius municipii, qui volet cuique per hanc legem licebit, actio petitio persecutio esto."

Licet verba illa *quanti ea res erit* diversam admittant interpretationem, hanc tamen vim habere videntur, ut si quis domum aliquam destruat vel faciat ut habitari nequeat, multae loco Malacae solvere debeat aedificii aestimationem.

Actionem ei, qui contra ea, quae in hoc Capite statuta sunt, fecerit, intendere iterum cuivis, qui volet, licet.

Quamquam Ulpianus scribit „Lege municipali cavetur, ut ordo non aliter habeatur, quam *duabus partibus* adhibitis," neque ab ea regula hoc aes plerisque saltem locis (1) decedit, hoc tamen loco aliud indicatur: hîc enim requiritur tantum ut *maior pars* decurionum adsit. Quae sit huius rei causa, certo quidem nullo modo sciri potest. Fortasse verba *maior pars* non urgenda sunt, sed iis duae partes decurionum significantur. (2)

Neque tamen negligendum videtur hîc tantum de aedificiis agi, de re igitur minoris momenti: atqui de huiusmodi re fieri poterat, ut maior tantum pars decurionum requireretur.

Neque in iure Romano defuerunt instituta de de-

---

(1) S. c. XXIX. M. c. LXI, LXIV, LXVII, LXVIII.

(2) Si sermo est de concione, in qua certus decurionum numerus adsit necesse est, hoc non eo valet, ut omnis hic numerus ant consentire aut dissentire debeat, sed simpliciter, ut is numerus adesse debeat, huius autem numeri plurima suffragia rem probent aut improbent.

Mommsenus vero l. l. 412 de hac quaestione ita disserit: „Im Widerspruch hiemit (scil. cum duabus partibus) steht allerdings ein Fall, indem die Zustimmung der Decurionen zum Abbrechen eines Gebäudes in der stadt gültig erfolgt, „*cum maior pars eorum adfuerit*", — eine Incongruenz, die in Verbindung mit einer andern Spur die frühere Annahme unterstützt, dass dies Kapitel nicht von dem ersten Concipienten des Schemas der latinischen Stadtrechte herrührt, sondern späterer und übel redigirter Nachtrag ist."

struendis et restituendis aedibus. (1) Exempli gratia: „An in totum, ita respondet Alexander Severus, ex ruina domus licuerit non eandem faciem in civitate restituere, sed in hortum convertere, et an hoc consensu tunc magistratuum non prohibentium, item vicinorum factum sit, praeses, probatis his, quae in oppido frequenter in eodem genere controversiarum servata sunt, causa cognita, statuet." (2)

Huiusmodi institutorum momentum dubio caret. Sic enim Malacae pariter a magistratu providebatur atque Romae: ne urbs ruinis deformaretur; prospiciebatur etiam vicinis. Fieri enim poterat, ut quis destruenda domo damnum afferret vicino; sed curia hac de re consulta, damni minor erat metus.

§ 6.

DE LOCATIONIBUS.

Hoc argumentum C. LXIII his continetur verbis: „Qui IIvir iure dicundo praeerit, vectigalia ultroque

---

(1) L. 7 D. de off. praes. (I, 18) „Praeses provinciae inspectis aedificiis, dominos eorum causa cognita reficere ea compellat, et adversus detrectantem competenti remedio deformitati auxiliam ferat."

(2) L. 3 C. de aed. priv. (VIII, 10) Cic. Verr. I, 54, 141.

tributa sive quid aliut communi nomine municipum eiius municipî locari oportebit, locato. Quasque locationes fecerit quasque leges dixerit, quanti quit locatum sit et qui praedes accepti sint quaeque praedia subdita subsignata obligatave sint quique praediorum cognitores accepti sint, in tabulas communes municipum eius municipi referantur facito et proposita habeto per omne reliquom tempus honoris sui, ita ut de plano recte legi possint, quo loco decuriones conscriptive proponenda esse censuerint."

Hae constitutiones non novae sunt, locationes enim ceteraque, quae ad eas pertinent, iam cognoveramus.

Quae enim de IIviro occurrunt locationes earumque leges in tabulas communes municipii referendas curante, similia sunt eorum, quae tum in lege Iulia municipali tum alibi exstant et quemadmodum huic magistratui insuper curandum erat, ut eae tabulae publice proponerentur per omne tempus duumviratus in loco a Decurionibus Malacitanis designando, ita Romae quoque more receptum fuit, ut omnia edicta, quae per annum integrum valerent, in foro per illum annum proponerentur. (1)

Animadversione dignum est cum Romae quaestor haud

---

(1) Vid. Becker, ll. II, 2, 231 sqq. Lange, Röm. Altert. Berlin 1863. I, 668.

quidquam erogare nisi consentiente senatu posset, hîc nihil dici de curia, ubi quaestio est de pecunia a IIviro eroganda. Hoc ita accipiendum est, ut quaestor fuerit magistratus minor, IIvir autem summus fuerit in municipiis magistratus.

Vidimus quoque ex huius Capitis argumento, duumvirum vectigalia ultroque tributa in municipiis locasse, eumque leges etiam locationum proponere debuisse. Romae censor haec omnia curabat, simul morum regimen eius erat, idemque censum agebat. Harum vero rerum nulla in hoc Capite agitur. IIviri tamen maiorem hîc habebant potestatem quam censores Romae, ubi sine senatu in re pecuniaria nihil peragi poterat.

In tabulae Malacitanae explicatione iam antea praedes et praedia nobis occurrere meminimus. Horum autem hîc denuo mentio fit, quae quidem quo facilius intelligatur, nonnulla in medium proferre lubet de satisdatione apud Romanos, deque iis rebus, quae ad illam pertinent.

Ac primum quidem tenendum, ibi tantum de praedibus et praediis agi posse, ubi de satisdatione est sermo, neque de ea, qua privatis satisdatur, sed qua civitati.

Hoc veteres compluribus locis significaverunt. Ita v. c. Varro (1): „praedia dicta item ut praedes a prae-

(1) de Ling. Lat. V, 40.

stando, quod eä pignore data *publici* mancupis fidem praestant."

Idem: „Praes, ait, qui a magistratu interrogatus, *in publicum* ut praes sit, a quo et quom respondet, dicit: praes." (1)

Festus (2) haec docet: „Praes est is, qui *populo* se obligat interrogatusque a *magistratu* si praes sit, ille respondet, praes."

Gaius in eandem sententiam inter cetera ait:

„Et hoc est, quod vulgo dicitur, ex praediatura possessionem usu recipi: nam qui mercatur *a populo*, praediator appellatur." (3)

Excipi tamen videntur *praedes litis vindiciarum*, quales in antiquissima de dominio lite fideiussores dabantur, ut, si petitori res addiceretur, satisdarent, dominum rei, rem petitori traditurum. Sed haec satisdatio proprie civitati debebatur, quoniam litis obiectum i. e. sacramentum, reipublicae fiebat. (4)

---

(1) l.l. VI, 74.

(2) p. 233 et 151 ed. Mueller.

(3) II, 61.

(4) Mommsen, Die Stadtrechte, 466 sqq.: „Ganz ähnlich wird noch viel später im Repetundenprocess, der nicht aus dem Criminal-, sondern aus dem Civilverfahren und zwar zunächst aus der *legis actio sacramento* sich entwickelt hat, formell das römische Volk als der Kläger betrachtet und seinem Quästor Zahlung geleistet,

In legibus nostris municipalibus universe tres modi agnoscuntur, quibus vel satisdatur vel satisdatio firmatur. Agitur enim in iis de *praedibus*, de *praediis*, et de *cognitoribus*.

Satisdationem primo loco per praedes fieri debere, Ulpianus clarissime nos docet; ait enim:

„Praetoriae satisdationes *personas* desiderant pro se intervenientium, et neque pignoribus quis, neque pecuniae, vel auri, vel argenti depositione in vicem satisdationis fungitur." (1)

Ubi tamen per praedes illos minus cautum esse videbatur, praedia oppignerabantur (2); quae praedia nominatim ad magistratuum notitiam pervenire debebant (praedia *subdere* hoc dicebatur et *subsignare* vel *obligare*.) (3)

Praedes autem curare debent, ut pecunia ex vecti-

---

eventuell ihm die *praedes* gestellt oder die Einweisung ertheilt, obwohl materiell die Condemnation natürlich den Verletzten zu Gute kommt." Plauti, Menaechmi, vs. 593 ed. Ritschl.

(1) L. 7 D. de stip. praet. (XLVI, 5).

(2) „Ne extenuentur facultates eorum, quae subsignatae sint fisco." L. 5 § 10. D. de iure imm. (L, 6).

(3) Cf. Cic. pro Flacco, XXXII, 80: „Quaeso sintne ista praedia censui censendo, habeant ius civile, sint, necne sint mancipi, subsignari apud aerarium aut apud censorem possint." L. 39 pr. D. de verb. sign.: (L, 16) „*Subsignatum* dicitur, quod ab aliquo subscriptum est; nam veteres subsignationis verbo pro adscriptione uti solebant." Cic. de legg. III, 2, 9.

galibus certo tempore solvatur, et in ultro tributis, ut opus locatum intra certum temporis spatium ad finem sit perductum.

Denique cognitoribus suae tribuuntur partes.

Cognitores, sive potius cognitores praediorum, ii erant qui pro certo affirmabant, praedia, quibus praedes vel debitores praecipui sadisdationem firmabant, iustam habere aestimationem et idonea esse conditione, testimonium enim eorum, qui ipsi satisdabant, non sufficiebat.

§ 7.

DE OBLIGATIONE PRAEDUM, PRAEDIORUM ET COGNITORUM.

Satisdatio, quam modo attigimus, nos sponte ducit ad haec Capitis LXIV argumenta diligentius persequenda. Ac primum quidem haec leguntur:

„Quicumque in municipio Flavio Malacitano in commune municipum eius municipi praedes facti sunt erunt, quaeque praedia accepta sunt erunt, quique eorum praediorum cognitores facti sunt erunt: ii omnes et quae cuiiusque eorum tum fuerunt erunt, cum praees cognitorve factus est erit, quaeque postea esse, cum ii obligati esse coeperunt, coeperint, qui eorum soluti liberatique non sunt non erunt aut non sine dolo malo

sunt erunt, eaque omnia quaeque eorum soluta liberataque non sunt non erunt aut non sine dolo malo sunt erunt, in commune municipum eiius municipii item obligati obligataque sunto, uti ii eave populo Romano obligati obligatave essent, si aput eos, qui Romae aerario praessent ii praedes iique cognitores facti eaque praedia subdita subsignata obligatave essent."

Haec igitur vis est, quam Leges huiusmodi obligationi erga municipium Malacitanum tribuunt. Sed praeterea hoc Caput effectus quoque talis obligationis docet.

„Eosque praedes eaque praedia eosque cognitores, si quit eorum, in quae cognitores facti erunt, ita non erit, qui quaeve soluti liberati soluta liberataque non erunt aut non sine dolo malo sunt erunt, IIviris, qui ibi iure dicundo praerunt, ambobus alterive eorum ex decurionum conscriptorumque decreto, quod decretum cum eorum partes tertiae non minus quam duae adessent factum erit, vendere legemque his vendundis dicere ius potestasque esto."

Utrum vero IIviri in dicenda venditionis lege pro arbitrio agere possunt, an lex venditionis ad certam regulam exigi debet?

Lex hoc statuit:

„Dum eam legem îs rebus vendundis dicant, quam legem eos, qui Romae aerario praeerunt, e lege prae-

diatoria praedibus praedîsque vendundis dicere oporteret, aut, si lege praediatoria emptorem non inveniet, quam legem in vacuom vendendis dicere oporteret."

Si igitur ex lege dicta venditionis emtor non prodierit, omnia in vacuum sunt vendenda, ut Romae quoque fiebat secundum hoc Caput.

Praeterea docemur, venditionis legi adiectam fuisse conditionem, qua praescribebatur: „uti pecunia *Minfore* (1) municipî Flavî Malacitani referatur luatur solvatur."

Quodsi venditio ita fit, ut hoc Capite constitutum est, ea venditio iusta rataque est.

Magni profecto momenti hoc Caput est ad ea omnia quae ad satisdationem pertinent cognoscenda, quando ipsi municipio satisdabatur, de privatis enim hominibus hîc, ut vidimus, nulla fit mentio.

Supra animadvertimus, sanctiones legum municipalium Salpensae et Malacae sanctionibus, quae Romae praescriptae erant, tamquam fundamento niti. Quod perspicuum est recordantibus superiorem de municipiis

---

(1) Nonnulli legunt pro Minfore : *infore* ; Cl. Laboulaye vero legit : *pecuniam in foro* et ultima C. LXIV verba hoc modo vertit : „et cette loi de la vente contiendra la clause expresse que l'argent soit apporté et *payé dans le forum de Malaga*, et toute loi ainsi établie sera juste et valable." Dernburg autem legit : *in publicum*, sed legendum mihi videtur, „*pecunia in foro*."

disquisitionem: nempe haec ab urbe Roma ius suum derivasse, unumquemque etiam municipem duas patrias habuisse censeri, alteram naturae, i. e. oppidum, in quo municeps natus erat, alteram iuris, i. e. Romam, quae, ut ait Herennius Modestinus, „omnium *communis* habebatur *patria*."

Hîc vero pariter instituta cognovimus similia eorum, quae Romae fuisse constat. Obligatio enim in commune municipum exigitur ad rationem, qua *Romae* praedes praediaque populo Romano obligabantur, et in rebus vendendis IIviri ita agere iubentur, ut Romae fit ab iis, qui aerario praesunt (1).

Si satisdatione per praedes minus cautum esse videretur etiam praedia obligari verba testantur „accepta sunt erunt." Verbum autem *accipere* hîc vi minime caret: cum enim praedia ostensa essent quae forent pignori, primum *cognitores*, i. e. qui praedia cognoverant, sententiam rogabantur. Cognitores, quibus quippe plerumque praedia nota essent, testari debebant,

(1) Quatenus *obligatio praedis* differat a *sponsione*, Mommsenus l.l. 469 dilucide exponit: „Wie weit die Obligation des Praes von der Sponsio sich entfernt, zeigen unsere Stadtrechte sehr deutlich. Die Sponsio setzt bekanntlich eine streng formelle und der des Bürgen durchaus gleichartige Hauptobligation voraus; in unsern Stadtrechten dagegen tritt die Hauptobligation, für die Sicherheit bestellt wird, ganz in den Hintergrund und wird nicht einmal in die Form der Stipulation gekleidet."

utrum praedia indicata ea essent aestimatione, qua esse debebant, si satis cautum foret. Quo facto ita, ut cognitores satis esse dixissent, praedia a magistratu legitimo *accipiebantur* ut praedia obligata; quae praedia, ut ex praecedenti Capite didicimus, pariter ac praedes et cognitores in tabulas communes municipum municipii Flavî Malacitani referebantur.

Et cum praedes, non aliter atque praedia, a magistratu probari et tamquam fideiussores accipi deberent, hinc pluribus locis legitur: *praedes accepti sunt.*

Si eo, quo satisfieri debebat tempore ipse debitor haud satisfecerat, municipium Malacitanum statim se ad praedes convertebat. Quodsi praes quoque promissis non stetisset, praes, ut hoc quidem Capite docemur, cum omnibus bonis suis, et quae eius erant cum se obligabat et quae per obligationis tempus acquisiverat, vendebatur, ab utroque quidem duumviro vel ab altero eorum, auctoritate Curiae Malacitanae, quae coram duabus saltem Decurionum partibus decretum de ea re facere debebat.

Venditio illa fiebat secundum legem quae propria erat iuris praediatorii (1).

---

(1) Cff. Salmasius, de modo usurarum, c. 16. Graevius, de iure praed. Tr. ad Rhen. 1688. Zimmerman, de notione et historia cautionis praediis praedibusque, Berlin 1857, Rudorff, Zeits. für

Quodsi ex legibus iuris praediatorii nullus veniret emtor, tum demum omnia in *vacuum* vendi poterant. Nullos inveniri emtores saepius usu veniebat, quia in legem venditionis nonnumquam reciperentur conditiones, quae praedi quidem utilia erant, emtori vero noxia.

Itaque Suetonius (1) de Claudio imperatore narrat: „Postremo etiam sestertium octogies pro introitu novi sacerdotii coactus impendere, ad eas rei familiaris angustias decidit, ut cum obligatam aerario fidem liberare non posset, *in vacuum* lege praediatoria venalis pependerit, sub edicto praefectorum."

§ 8.

DE IURE DICUNDO E LEGE DICTA PRAEDÎS PRAEDIBUSQUE VENDUNDIS ATQUE DE MULTA.

Haec argumenta Capitum LXV et LXVI apte excipiunt ea, quae modo de obligatione praedum, praediorum et cognitorum monuimus. Primum autem Ca-

---

geschichtl. Rechtswiss. X, 121 sqq. Bachofen, das röm. Pfandrecht, Basel 1847, I, 217 sqq. Dernburg, das Pfandrecht nach den Grundsätzen des heutigen röm. Rechts, Leipzig 1860, 26 sqq.

(1) Claud. 9. Cic. pro Balbo, XX, 45. ad fam. V, 20, 3. Valer. Max. VIII, 12, 1.

put ius tradens praediatoribus (1) concessum, sic sese habet:

„Quos praedes quaeque praedia quosque cognitores IIviri municipii Flavî Malacitani hac lege vendiderint, de iis quicumque iure dicundo praeerit, ad quem de ea re in ius aditum erit, ita ius dicito iudiciaque dato, ut ei, qui eos praedes cognitores ea praedia mercati erunt, praedes socii heredesque eorum iique, ad quos ea res pertinebit, de îs rebus agere easque res petere persequi recte possit."

Verba: *ea res — de iis rebus* cum ad praecedentia pertineant, i. e. ad *praedes*, *praedia*, *cognitores*, hi ipsi in *rerum* quoque numerum referuntur, sicuti in superiore C. „dum eam legem is *rebus* vendundis dicant." Quod tamen facile intelligitur ex iis, quae de vestigiis antiqui iuris in posteriorum legum forma superstitibus nos docuit ipsorum praedum vendendorum mentio.

Porro verbis: *ei, qui eos praedes cognitores ea praedia mercati erunt*, praediatores spectari, i. e. emtores praediorum civitati obligatorum, dubio caret.

Eiusmodi homines, quippe plurimum hac in re occupati, pretium et conditionem praediorum omniaque

(1) De iure praediatorio docte egit, Alphons Rivier, Untersuchungen über die Cautio praedibus praediisque, Berlin, 1863; cf. I. E. Goudsmit in: Themis, 1863. pag. 550 sqq.

quorum ratio esset habenda in praediorum oppigneratione et venditione, optime noverant; hinc quamquam non erant iuris periti, tamen in rebus ad praedia pertinentibus, interdum meliora dare poterant responsa quam ipsi ICti. Itaque Cicero (1) „Q. Scaevola, ait, ille augur, cum de iure praediatorio consuleretur, homo iuris peritissimus, consultores suos nonnumquam ad Furium et Cascellium *praediatores* reiiciebat."

Si igitur eiusmodi praediator praedia civitati obligata emit, actiones, quas civitas adversus praedem habuerat, in emtorem transeunt. Duumviri est, ita ius dicere, ut praediator rem persequi possit ea utens actione, quam civitas ipsi cessit.

Post eius mortem heredi ius fuisse „de iis rebus" i. e. de *praedibus*, *praediis* et *cognitoribus* agendi easque res petendi persequendi, manifestum est ex regula: „heres defuncti personam sustinet."

Sed ne omittamus *praedes socios*, quorum etiam in hoc C. mentio fit. Quod nonnemini placet interpunctione *praedes*, *socii* duo distinguere hominum genera, hoc probandum nobis non videtur. Socii enim intelliguntur illi, qui sese correali obligatione cum praede obligarunt.

Cum igitur praediator, i. e. praedum, praediorum

(1) In orat. pro Balbo, XX, 45. Ad Attic. XII, 14, 17.

et cognitorum emptor in publica auctione extitisset, hic quoque municipio Malacitano satisdare debebat, se certa die emtionis pretium soluturum. Quodsi erat socius, qui fidem interposuerat pro *praediatore*, tunc, ut docet hoc Caput, in hunc quoque *socium* qui *praes* factus erat, actiones tranferebantur, quae ex venditione ipsi praediatori competebant in ea quae emerat. (1)

Capite LXVI, ad quod transimus, de multis irrogandis sic agitur:

„Multas in eo municipio ab IIviris praefectove dictas, item ab aedilibus, quas aediles dixisse se aput IIviros ambo alterve ex îs professi erunt, IIvir qui iure dicundo praeerit in tabulas communes municipum eiius municipî referri iubeto."

Hoc multandi ius ne a magistratibus illis in civium damnum veteretur, prudenti opus erat cautione, quae quidem his continetur legis verbis:

„Si cui ea multa dicta erit aut nomine eiius alius

---

(1) Hac de re Rivier l.l. sic disputat: „Eigentlich kommt beides auf eines und dasselbe heraus. Denn wenn hier praes und socius zu lesen ist, so wird doch der Bürge, nach den gewerbmässigen Betriebe des Ganzen, ein Genossen sein, und verbindet man praes socius, so wird jedenfalls die übrigen Genossen, die nicht Bürgen sind, unter den sonstigen Interessirten mitbegriffen. So räumt das Stadtrecht den Genossen des Kaufers das Recht ein, sich vom Richter die Klagen geben zu lassen, welche jener aus den Forderungskaufe auszuüben berechtigt war."

postulabit, ut de ea ad decuriones conscriptosve referatur, de ea decurionum conscriptorumve iudicium esto."

„Quaeque multae *non* erunt iniustae a decurionibus conscriptisve iudicatae, eas multas IIviri in publicum municipum eiius municipii redigunto."

Hinc sponte sequitur, multas, quae a decurionibus iniuste dictae esse censentur, irritas haberi.

Cernitur itaque huius Capitis momentum in iis, quae tum de multae edicendae ratione tum de provocatione ad municipii Decuriones docemur.

Ius multandi hîc non tantum duumviro vel eius vicario conceditur, verum etiam aedilibus, qui tamen hoc iure quodammodo ex duumviris pendebant; profiteri enim debebant se multas dixisse, ut legitur in hoc Capite.

Duumviros oportet quoque curare, ut multae, quae edictae sunt, in tabulas municipii communes referantur; hinc igitur necesse erat, ut scirent, quae multae ab aedilibus essent irrogatae.

Curabant praeterae duumviri, ut multae dictae solverentur. Ob hanc rem et duumviri magistratum ineuntes, iurare debebant, se pecuniam communem salvam praestituros esse.

Quaeri autem potest, utrum aediles eandem pecuniae summam multae nomine solvendam alicui imponere possent, atque duumviri, an vero multas mi-

noris tantum summae irrogandi ius haberent. Desunt certa hac de re testimonia. Ex analogia tamen veri non est dissimile, duumviros maiores multas edicere potuisse quam aediles; apud Tacitum enim haec occurrunt:

„Cohibita artius et aedilium potestas statutumque quantum curules, quantum plebeii pignoris caperent vel poenae irrogarent." (1)

Aediles utique duumviri et praefectus multam irrogandi ius habebant, sed procul dubio certa fuit pecuniae summa, quam ut Romae, ita in municipiis magistratibus non licuit excedere in multando.

Diocletiani certe tempore haec legimus:

„*Certa ratione* et *fine* praesides multare possunt. Quodsi aliter et contra legis statutum modum provinciae praeses multam vobis irrogaverit, dubium non est, id, quod contra ius gestum videtur, firmitatem non tenere et sine appellatione posse rescindi." (2)

§ 9.

DE PECUNIA COMMUNI MUNICIPUM DEQUE EORUM RATIONIBUS ET DE CONSTITUENDIS PATRONIS.

Complectimur hac paragrapho Capita LXVII et

(1) Ann. III, 28.
(2) L. 5 C. quando provoc. (VII, 64).

LXVIII, quia ad unam eandemque rem ambo pertinent, nimirum ad *pecuniam communem.*

„Ad quem — ita est C. LXVII — pecunia communis municipum eius municipî pervenerit heresve eiius isve ad quem ea res pertinebit, in diebus XXX proximis, quibus ea pecunia ad eum pervenerit, in publicum municipum eiius municipî eam referto."

Haec de pecunia communi, quibus tum subiicitur:

„Quique rationes communes negotiumve quod commune municipum eius municipî gesserit tractaverit, is heresve eiius isve ad quem ea res pertinebit in diebus XXX proximis, quibus ea negotia easve rationes gerere tractare desierit, quibusque decuriones conscriptique habebuntur, rationes edito redditoque *decurionibus* conscriptisve cuive de his accipiendis cognoscendis ex decreto decurionum conscriptorumve, quod decretum factum erit, cum eorum partes non minus quam duae tertiae adessent, negotium datum erit."

Referuntur igitur pecuniae publicae rationes vel ipsis decurionibus vel ei, cui hoc negotium ab iis, ex decreto decurionum, duabus partibus praesentium, mandatum est.

Fieri tamen potest, ut quis intra triginta dies pecuniam, quae communis Malacitanorum ad ipsum pervenit, in publicum municipii referre velit, utque propensus etiam sit ad rationes intra tempus definitum

reddendas, sed ab alio impediatur quominus hoc faciat: quid tunc agendum?

Huic quoque causae prospexerunt hae leges, in quibus ita praescriptum est:

„Per quem steterit, quo minus ita pecunia redigeretur referretur quove minus ita rationes redderentur is, per quem steterit quo minus rationes redderentur quove minus pecunia redigeretur referretur heresque eius isque ad quem ea res qua de agitur pertinebit, *quanti ea res erit, tantum et alterum tantum* municipibus eiius municipi dare damnas esto."

Itaque hoc agitur, ut ab impediendo solvendi rationesve reddendi consilio unusquisque, metu dupli abstineat. Est autem actio, quae hac in causa conceditur popularis. Nam extrema Capitis parte legimus:

„Eiiusque pecuniae deque ea pecunia municipum municipii Flavî Malacitani qui volet cuique per hanc legem licebit actio petitio persecutio esto."

In Capite LXVIII haec praescripta sunt: „Cum ita rationes reddentur, IIvir, qui decuriones conscriptosve habebit, ad decuriones conscriptosve referto, quos placeat publicam causam agere."

Is igitur, qui secundum ea, quae superiori Capite praescripta sunt, rationes reddere cupit, hoc Duumviro significare debet, decurionum praesidi, qui id cum decurionibus communicat, ut iam legantur, qui

publice in rationes reddendas inquirant. Hoc autem facto: „decuriones conscriptive iurati per tabellam de ea re decernunto."

Decurionum consilium, ideo convocatum, decernere non potest, nisi duae decurionum partes adsint. Qui si praesens est numerus ex his, tres illi, qui plurima suffragia nacti sunt, ad inquisitionem instituendam eliguntur. Sequuntur enim verba haecce:

„ita ut tres, quos plurimi per tabellam legerint, causam publicam agant."

Lecti certam diem a decurionibus petere debent, qua in rem inquirere et, si opus est, actionem instituendam constituere possunt; postremo cum dies definita venerit, rem quantum fieri optime potest peragere debent.

„Iique (in his desinit C. LXVIII), qui ita lecti erunt tempus a decurionibus conscriptisve, quo causam cognoscant actionemque suam ordinent, postulanto, eoque tempore quod îs datum erit transacto eam causam uti quod recte factum esse volet agunto."

Tres illi viri, qui ad publicam causam agendam leguntur etiam *patroni causae* nominantur, unde huic Capiti titulo est: *de constituendis patronis.*

Haec inquisitio in rationes reddendas eo sponte ducit, ut aut rationes ratae habeantur, quo facto is qui nomine municipii Flavî Malacitani egit, munere liberatur, aut contra ut actio adversus eum instituatur.

§ 10.

DE IUDICIO PECUNIAE COMMUNIS.

Caput LXIX, uti ultimum est, quod aetatem tulit, ita magni esset momenti si integrum ad nos pervenisset. Sed quid facies exiguo fragmento?

„Quod municipum municipii Flavi Malacitani nomine petetur ab eo, qui eius municipi municeps vel incola erit, quodve cum eo agetur, quod pluris sestertios mille sit neque tanti sit ut." Cui tamen fragmento addita a Mommseno (1) verba si probamus:

„de ea re proconsulem ius dicere iudiciaque dare ex hac lege oporteat, de ea re IIvir praefectusve, qui iure dicundo praeerit eius municipii, ad quem de ea re in ius aditum erit, ius dicito iudiciaque dato". . . . sed hanc coniecturam si probamus, definiri hac prima periodo apparet, quanti causam esse oporteat, ut in iudicio pecuniae communis IIvir praefectusve ius dicat.

---

(1) Die Stadtrechte u. s. w. Nachtrag, pag. 504.

EPILOGUS.

Postquam ad finem disquisitionis nostrae pervenimus, paucis complecti iuvat summam eorum, quae Inscriptionum Malacae inventarum gravitatem probant.

Et universe quidem animadvertendum censemus, has leges municipales planum facere, primum, omnem municipiorum Malacae et Salpensae constitutionem ipsius Romanae civitatis constitutionibus niti: deinde, cum Romae sub Domitiano et comitiorum et senatus non nisi umbra superesset potestatis, in his municipiis municipes et decuriones multum adhuc valuisse.

Accedit quod eaedem leges ampliorem nobis praebent notitiam condicionis et constitutionis municipiorum generumque incolarum sub Imperatoribus. Quamquam enim iam antea ex variis veterum scriptorum

fide dignissimorum locis haud ignotum erat, quid de hisce statuendum esset, hae tamen Inscriptiones aditum ad ipsos fontes concedunt, continentes quippe leges duobus municipiis scriptas, unde multa quae ad doctrinam de municipiis pertinent, multo accuratius explicare licet.

His universe animadversis, videamus de singulis.

Ex tabula igitur Salpensana cognovimus: magistratus in municipiis (II viros, II aediles, II quaestores), postquam per annum munere functi sunt, cum omni familia sua civitatem Romanam nancisci; manum, potestatem et mancipium etiam Latinis nota fuisse; apud hos quoque marito ius fuisse testamento declarandi, se uxori suae tutoris optionem relinquere. Apparet etiam, eum, qui servum suum manumiserat, in hunc iura quaedam retinere; praeterea Latinum, qui de causa aliqua civitatem Romanam acquisiverat, tamen liberti sui ratione habita in priori statu mansisse censeri.

Praeterea haec tabula docet, cuivis municipi licuisse tutorem rogare illorum pupillorum pupillarumve, quibus tutor testamentarius aut legitimus non erat, qua in causa Duumvir tutorem dabat, decurionibus consentientibus, si pupilli quoque municipes erant. Quodsi incolae (cives Romani vel Latini) tantum erant municipii, Duumvir tutorem dabat, causa cognita, col-

legis consentientibus. Tutor hoc modo datus agnato proximo civi Romano aequabatur.

De servorum manumissione legimus, nec pupillum nec virginem mulieremve sine tutore auctore manumittere posse; neque XX annis minorem manumittere posse, nisi causa manumissionis a decurionibus, certo numero, comprobata. Si tamen servi a municipibus Latinis manumittuntur, hi Latinis libertinis optimo iure aequantur.

De magistratibus docemur, eos intra quinque dies post munus aditum iurare debere, se commodis municipii, cui praesunt, consulturos, eumque, qui non iurat, multae poena damnari.

Duumviri urbem aliquamdiu relicturi, suo loco praefectum relinquere possunt. Praefectus ille e decurionibus eligendus est XXXV annis maior; nec munere isto functus civitatem Romanam adipiscitur, nec alterum suo loco praefectum relinquere potest.

Praefectus tamen, qui ab Imperatore ipso IIvir creatur, ceteris duumviris prorsus comparatur.

Haec de Salpensana.

Malacitana autem docet: candidatos, qui honores petunt, nomina sua profiteri debere apud praesidem comitiorum; cumque aut nemo se candidatum professus est, aut candidati pauciores numero sunt, aut denique pauciorum propter hanc illamve causam ratio

haberi potest, tum praesidem comitiorum candidatos aliquot nominare debere, eorumque hic nomina in publico proponere; eos vero, qui nolunt ut sui ratio habeatur, alios etiam posse nominare.

Apparet etiam ex hac tabula, Duumvirum natu maiorem comitiis magistratibus creandis praeesse debere.

Porro haec accipimus: in magistratibus creandis non omnes candidati admitti possunt, eorum enim, qui XXV annis minores sunt, eorumve, qui sunt ea condicione, qua ad magistratum gerendum non sunt idonei, ratio nulla haberi potest.

Municipes curiatim in diversis consaeptis, cuique curiae destinatis, suffragia ferunt; incolis autem, qui sunt cives Romani vel Latini, in una curia suffragia sua ferre licet, quae curia ex reliquis sorte ducta designatur.

Praeterea ex hac tabula multa cognovimus de iis, qui parem suffragiorum numerum nacti sunt. In creandis magistratibus maior suffragiorum numerus vincit. Quodsi candidati parem suffragiorum numerum acceperunt, maritus caelibi praefertur, liberos habens non habenti, aut plures liberos habens ei, qui pauciores liberos habet. Si vero omni omnino parte pares sunt, res committatur sorti.

De comitiis docemur, nemini licere impedire, quo

minus habeantur, quodsi quis sciens dolo malo ea prohibet, hunc multa puniri.

Deinde si patronus Malacae eligendus est, ut certus decurionum numerus consentiat requiritur. Quodsi quis contra facit, pecunia damnatur.

Nec Malacae licitum est aedem detegere, domosve destruere, nisi hac de re consenserint decuriones; qui tamen consensus, si aedes intra annum instaurentur, haud requiritur.

Locantur vectigalia atque ultro tributa a IIviro, qui iuri dicundo praeest secundum legum praescripta, quae leges certo quodam loco, a decurionibus indicando, proponi debent.

Candidati, antequam suffragia ferantur, cavere debent de servanda pecunia communi per muneris gerendi tempus.

Haec cautio datur a praedibus eorumve praediis et cognitoribus; hi omnes ita obligantur, ut si aut ipse magistratus aut praes officiis suis erga municipium non satisfacit, omnia eorum bona ex venditionis lege vendantur.

Secundum legem municipalem Malacitanorum magistratibus (IIviris, praefectis, aedilibus) ius est multas edicendi. Hae multae a IIviris in tabulas referuntur. Si quis iniuria se multatum esse censet, ei ius est provocandi ad Curiam municipii.

Fieri praeterea potest, ut quis pecuniam, quae municipii est, accipiat. Quo facto municeps, aut hoc mortuo heres eius, intra XXX dies hanc pecuniam in aerarium municipii Malacitani deferre debet. Si quis universe negotium aliquod gessit pro municipio, eum etiam intra XXX dies huius rei rationes reddere oportet. Quodsi hoc facere neglexit, aut si ab alio prohibetur, gravis multa solvenda est.

Rationes illae vel ipsis decurionibus redduntur vel alteri ab iis designando.

Si redditae sunt rationes, tres patroni causae creantur, qui de iis iudicent.

Hi tres patroni a decurionibus cum plurimorum suffragiis eliguntur e numero quodam hominum a IIviris proponendo. His tribus causae patronis certa dies praefinitur, intra quam negotium hoc conficere debent.

QUAESTIONES.

I.

Non facio cum Bernhardy Grundr. der Griech. Litt. II, 12 „Schon der Name *ποιητὴς* kündigt einen schöpferischen Geist an."

II.

Epitaphium in Demosthenis oratione *περὶ στεφάνου*, § 289:

Οἵδε πάτρας ἕνεκα σφετέρας εἰς δῆριν ἔθεντο
Ὅπλα, καὶ ἀντιπάλων ὕβριν ἀπεσκέδασαν.

Μαρνάμενοι δ᾽ αρετῆς και δείματος οὐκ ἐσάωσαν
Ψυχὰς, ἀλλ᾽ Αἴδην κοινὸν ἔθεντο βράβην,
Οὕνεκεν Ἑλλήνων, ὡς μὴ ζυγὸν αὐχένι θέντες
Δουλοσύνης στυγερὰν ἀμφὶς ἔχωσιν ὕβριν.
Γαῖα δὲ πατρὶς ἔχει κόλποις τῶν πλεῖστα καμόντων
Σώματ᾽, ἐπεὶ θνητοῖς ἐκ Διὸς ἥδε κρίσις.
Μηδὲν ἁμαρτεῖν ἐστὶ θεῶν καὶ πάντα κατορθοῦν·
Ἐν βιοτῇ μοῖραν δ᾽ οὔτι φυγεῖν μερόπων,

Demostheni est abiudicandum.

III.

Recte Ed. Wunder Soph. Ant. v. 775 legit: *ὅς ἐν κτήμασι πίπτεις.*

IV.

Loci Polybiani I, 4 et V, 33 in concordiam redigi possunt.

V.

Immerito nonnulli statuunt, v. 909—921 in Plauti Captivis (ed. Fleckeiseni) referenda esse ad Actum V.

VI.

Egregie Cicero Philipp. I, 12: „Est autem gloria laus recte factorum magnorumque in rempublicam meritorum, quae cum optimi cuiusque tum etiam multitudinis testimonio comprobatur."

VII.

Errant, qui in Sall. Cat. 55 vindices rerum capitalium fuisse putant *triumviros capitales.*

VIII.

Unum tantum municipiorum genus Imperatorum tempore exstitit.

IX.

Curatores reipublicae non eosdem ac quinquennales fuisse statuo.

X.

Quaestura regia aetate fuit magistratus ordinarius.

XI.

Non assentior Savignio (System des heut. röm. Rechts, II, 478) dicenti: „Capitis deminutio heiszt jede Verminderung der Rechtsfähigkeit."

XII.

Sententia eorum, qui numerum curiarum posteriore tempore crevisse ad XXXV putant, reicienda est.

XIII.

Iure Herodotus a Longino dicitur *Ὁμηρικώτατος*.

XIV.

